

Undique ſi fundunt manibus ſua munera plenis,
Quacunque incedis, Numina grata loci,
Hic Dea, ſiſte pedem; nec ſola Britanniæ tellus,
Ipſi animi Britonum ſint quoque cura tibi.

O P E R A


GUL. KING, LL.D.

AULÆ B.M.V. APUD OXONIENSES

OLIM PRINCIP.

——————————— *atqui*
Primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni æquus virtuti atque ejus amicis.





PRÆSIDIBUS
SUPREMI GALLIÆ SENATÛS;
SOCIISQUE SUIS,
VIRIS OPTIMIS, MAGNANIMIS, SAPIENTISSIMIS.



Quandoquidem præclara hæc nomina, pro immortalibus veſtris in patriam meritis, cùm civitatis veſtræ, tum gentium omnium conſenſu aſſecuti eſtis, jam diu eſt, cùm ipſe quidem, vir peregrinus, ut virtutibus veſtris debitum cepiſſe teſtimonium, et quodammodo tribuiſſe videar, me et hoc opus meum vobis dica-

tum volo. Porrò autem totum hujus libri argumentum optimis civibus judicibuſque integerrimis idcirco pergratum fore confido, quia libertatis cauſam complectitur, pro quâ cùm vobis ſemper fuit omnis contentio ſummâ cum veſtrâ laude, tum verò non commiſiſtis, ut potentium minis, aut blanditiis malitioſis (in quibus ipſi ſe peccâſſe noverint) potiùs, quàm ſententiis et conſiliis veſtris religionis antiquitas, populi jus, et ſenatûs auctoritas retineantur. Sed tamen id eſſe ſatis cauſæ cenſent quidam, homines gratioſi, ex optimatibus et proceribus ſacerdotum (at qui ſacerdotes!) quare vos in ſuſpicionem veniatis regni appetendi, aut, neſcio cujus, conjurationis et maleficii; quum nihil eſt, quod mavultis, quam earum civitatum negotiis præeſſe, quæ legibus æquiſſimis contineantur, quæque vos juſtitiæ et libertatis cuſtodes et unicum populi præſidium, contra gratiam æquè atque contra vim, eſſe ſentiant. Nam, cùm eâ eſtis eximiâ fortitudine (neque aliter vos OPTIMOS fieri ipſi arbitramini) ut omnia putetis ſubeunda pericula, omnes ſuſcipiendos et ſuſtinendos labores, ſi id muneris fides veſtra poſtulet, et quo obeundo poſſeſſiones veſtras et regni jura tueri, amiſſa recuperare, inſidias et criminationes

minationes ab inimicis veſtris allatas repellendo, vos poſſe ſperetis: tum eâ eſtis animi æquitate, ut in res alienas irruere, et facultates et commoda veſtra aliorum ſpoliis et incommodis augere ſummum ſcelus eſſe ducitis. At non eſt meum innocentiæ veſtræ defenſionem ſuſcipere, cùm totam hanc cauſam, in quâ pietas erga patriam regemque veſtrum æquabiliter fuſa eſt, et res omnes, quæ in controverſiam modò vocabantur, ita copiosè et ornatè expoſuit eloquentia veſtra, (ſermonibus iis ac decretis ſanè quàm diſſimillima, quæ alia ſuper alia ſtatuunt, imperant, revocant, iterum imperant, revocantque,) ut orationes, ſcripta et teſtimonia veſtra nunquam poſſint redargui, ne quidem oppugnari, niſi pecuniâ et turpi largitione. Atqui (fatendum eſt enim) quum video mores civium noſtrorum omnium, præter perpaucos majoribus ſuis et vetere Britanniâ dignos, adeò eſſe corruptos ac depravatos, uti præ lucro nullam, non dico reipublicæ, aut poſterorum, ſed ſui habeant rationem, mira hercle ſunt, ni id quidem quoſdam è civibus veſtris, leves ac nummarios homines, (hodie enim latè manat hujus ſceleris contagio) ab integritate et fide ſuâ deduxerit.

Siqui ſunt hujuſcemodi, qui cùm conjunctiſſimi cum vobis eſſe debeant communi patriæ vinculo, ab eâ tamen deſcivere, et pontificibus purpuratis ad vos opprimendos ſe adjutores præbuerunt, non poſſunt, ut non ſibi ſtatuant publici odii monimenta, vobis publici amoris, ſempiterna. Quinetiam ſi horum hominum perfidia, aut aulicorum vis, aut pontificalis authoritas, quæ eò crevit, ut jam cæremoniis et religione laboret ſuâ, acta et judicia veſtra reſcindere potuerit (pontifices enim et publicæ religionis magiſtri, quantum de majeſtate et amplitudine veſtrâ diminuerint, tantum gloriæ et præſidii ad facultates et dominationes ſuas ſe adjeciſſe ſperant) adverſos eos caſus, aut mala quæcunque fortuna curiæ ſanctiſſimæ invexerit, ſi non vitare, aut ſanare, at aptè et ſapienter ferre vos poſſe palam eſt. Enimverò facitis, ut cùm pietatem et prudentiam veſtram, tum patientiam et lenitatem laudent omnes, ament, admirentur. Et verò quiſquis eſt, qui popularem laudem rebus geſtis conſecutus, cùm auctoritate tum dignitate ſummâ florere videatur, haud tamen eum cuiquam veſtrûm exiſtimo parem factum, aut ſimilem eſſe, aut ampliſſima nomina ſibi aſciſ-

aſciſcere debere, niſi magno is ſit animo et excelſo, niſi in utrâque fortunâ, afflictâ non ſecus atque proſperâ, exercitatus atque cognitus fuerit. Robur enim animi præcipuè cernitur in rebus asperis et adverſis, in ærumnis, in periculis, in naufragiis, in exiliis, in vinculis, in perpeſſione denique malorum omnium. Quapropter inclyto illi * Romano imperatori, cui ſenatus nomen OPTIMI decreverat, unum hoc defuiſſe arbitror, converſionem rerum et iniquam aliquando vitæ conditionem. Res fecundiſſimas pulchrè et moderatè tuliſſe magnæ quidem ei (quis negat?) fuit laudi: Quo autem animo caſus graviſſimos et inſignes calamitates tuliſſet, quum ſummâ et perpetuâ uſus eſt felicitate, planè neſcitur. Hæc eſt ea animi magnitudo, quæ cum ceteris virtutibus conjuncta, juſtitiâ, prudentiâ, temperantiâ, manſuetudine et liberalitate, heroas et ſemideos facit, ſiquid facit: quâ qui ſit præditus nihil molitur, aut omnino cogitat, niſi quod ſit decorum et honeſtum; nihil falſi, neque parùm conſideratè loquitur, ſed apertè, et ad veritatem omnia; nec verò amicis modò et ſociis ſuis, ſed cunctis civibus optimè conſulit; neque tam uni genti et regioni, quàm hominum

* TRAJANO.

hominum univerſo generi prodeſſe cupit. Hæc eſt vera ea animi magnitudo et præſtantia, quæ immortalitati commendavit infinitos et honeſtos CORSORUM labores, quæque HIBERNIÆ ſenatores eos illuſtriſſimos, qui facta et ſtudia veſtra imitari videntur, tali decorabit ſplendore et prædicatione, modò ſibi conſtent, quali, ab ultimâ antiquitate ad hoc uſque tempus, regem mehercule reperiemus neminem decoratum. Huc accedit, quòd principes viri, quibus hæ eximiæ ingenii et naturæ dotes contigerint, omni memoriâ deo fuerunt chariſſimi, maximiſque, quæ adirent, periculis ejus ope liberati, ſummiſque, quos optarent, honoribus ornati. Unde ſpero fore, neque id minùs ſpero, quia homo ANGLUS ſum, ut vobis ſalus et auctoritas, civitati veſtræ leges ſuæ tandem reſtituantur, et reddantur. Sin autem aliter aliquando evenerit viris probatiſſimis propter temporum iniquitatem, atque adeò omnia jam vobis eveniant contrà, ac quæ boni omnes vehementer expetierint, nos tamen perſuaſum habeamus, quò ea quidem æquiore animo ſint ferenda, deum nihil facere, imperare, permittere, niſi ſummâ ratione, et cauſam eſſe occultam, ſed juſtiſſimam,

quare

quare providentiæ ſuæ curſum ipſe aliquando impedire videatur. Hæc ſimpliciter me dixiſſe ſine fuco, aut ullâ exornatione, ſi vobis minimè diſpliceam, mihi valdè gratulor. Tamen ſunt fortaſſe, quibus nimiùm arrogans et ambitioſus videar, quòd hunc libellum vobis dedicavi, et in fronte operis mei nomina tam venerabilia curavi inſcribenda, ex hoc artificio, ſi minùs ingenii commendatione, gratiam ſanè magnam collecturus. Sic autem habeant obtrectatores mei et malevoli omnes, me quidem hæc ad vos ſcripſiſſe, neque patrocinii quærendi causâ, quod officium peregrino tribuere alienum ſit à rationibus veſtris, neque oſtentatione, aut ullius ſpe præmii adductum, cujus minimè eget temperantia mea, ſed voluntate, opinione, admiratione. Incorruptos libertatis cuſtodes et vindices quærebam: reperi, perſpexi, cognovi, colui, atque eâ obſervantiâ ac religione, quâ vos ipſam illam libertatem et patriæ jura uſque coluiſtis. Nam cùm ego is ſum, qui haud ſanè in animum inducerem, etiam ſi vos eſſetis omnium mortalium beatiſſimi, ut ob eam cauſam, venalium ſcriptorum more, vos adularer; tum verò ſi miſerrimi, ſi regni finibus in exilium infe-

licius

licius pulsi essetis, neutiquam tamen ita me pigeret consilii et constantiæ meæ, ut virtutes vestras, suppliciis nullis deformandas, studiis et sermonibus meis celebrare unquam desinerem. Ubicunque terrarum eritis (pace theologorum sacerdotumque omnium ordinum dixerim) ibi erunt non modò GALLIÆ vestræ, sed hujus seculi, sed humani generis decora et ornamenta. DABAM OXONIÆ MAII CALENDIS. MDCCLIV.





Gul.s Groan Jun.s Delin. P. Fourdrinier Sculp.

MILTONIS EPISTOLA AD POLLIONEM.



I vis ingenii, mihi ſi conceſſa po-
teſtas
Carminis, aut, qualis Cadeno,
ſpiritus eſſet,
Dum canit uxorem, aut patriam
defendere doctus
Aggreditur vates, meritas tibi dicere laudes

℣ 2. CADENO] Fuit CADENUS S. P. D. D. MILTONI amiciſſimus, uti ipſe poeta teſtatur, qui alibi CADENO ſuo ſuos reddidit honores.

Inciperem; & Phœbum ſpirans, & plenus amico,
Pollio, magna tuæ facerem præconia vitæ.

O ſi tam ſuperis cordi populique patrumque,
Quàm tibi, jura forent! O ſi mea vota valerent,
Fabricioque Aſtræa ſuo transferret habenas!
Tunc pudor, atque fides, atque A*** regna redirent;
Nec ſibi fas ultrà ſævis ſperare novercis,
Nec tremerent ullos venientia ſecla tyrannos.
At quid tu poſſis? quid pars ſincera ſenatûs?
Quid ſocii proceres? quid virtus dura Catonis?

℣ 6. Pollio] Nobilis is fuit illius ævi juvenis, omni liberali doctrinâ & humanitate politiſſimus, ardens ſtudio patriæ ac libertatis publicæ tuendæ, conſervandæ, augendæ; Miltoni amicus ſummus & familiaris.

℣ 9. Fabricio] Quem neque rex Pyrrhus, neque Samnites, quos debellaverat, auro corrumpere potuerunt. Pauper erat tamen, ſed paupertate nobiliſſimus.

Parvoque potentem
Fabricium. Virgil.

Quem virum, aut heroa hoc præclaro nomine poeta celebrari voluerit, haud jam inveſtigatum eſt. At diligenter de illo inveſtigandum, & poſteà pleniùs eſt dicendum.

℣ 10. A** regna] Imperfectus hic verſus quomodo compleri debeat, non ſatis ſcio. Legunt nonnulli ex amicis noſtris, quibus hujus carminis copiam feci, *Aurea regna*. Haud mihi valdè placet τὸ *Aurea*.

Quid

Quid Bruti? Si vel totum Cicerona ſonares,
Quid tibi, quid patriæ divina Philippica proſit?
Infanda, en, iterum Pallas ſua dona paravit,
Solicitans pretio cives, & nobile vulgus,
Pollicitus quod quiſque petat! Captantur avari,
Et quos præcipites luxus rapit. Eſſe tribunum
Huic datur imbelli: hic totum ſe proluit auro:
Hic creſcit titulis; hic nutat pondere mitræ.
Pallanti quid non licitum eſt? Venalia cuncta,
Pax, bellum, leges, divi, monimenta parentum,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

℣ 17. PALLAS] Libertus fuit Claudii Cæſaris, qui ſummo Imperatoris favore imbutus, ſummum faſtigium tenuit, plebem, patres, conſules, Auguſtam, Auguſtum, Auguſtos Lares pro arbitrio ſuo gubernans. Ditiſſimus erat Romanorum, vel Craſſo ditior vicies & quinquies centenis millibus. Exinde natum proverbium,

Ego poſſideo plus
Pallante. Juvenal. *Sat.* 1.

De hujuſce viri inſolentiâ, ſenatûs humilitate, Cæſaris patientiâ, *vide* Plin. *Ep.* 6. *Lib.* 8. & Tacit. *Annal.* 12.

Sunt, qui GEORGIUM VILLIERS, *Buckingamiæ ducem*, qui præfectus erat regni regnante Jacobo I. & Carolo I. hôc nomine deſignari velunt. Verùm neſcio, an aſtutè conjecturam faciant de GEORGIO iſto, quum nobis parum certum ſit de anno, quo ſcripta eſſet hæc epiſtola.

℣ 25. ET NATI, &c.] Verſus Virgilianus, *Æneid.* lib. 3. ℣. 98.

Siccine libertas armis & ſanguine parta,
Ac ſervata diu, ſedes faſtidit avitas,
Notis victa dolis; &, tali auctore, recedit
Auro jam peritura ſuo? Mirabile dictu,
Et bello invictos, & multa & magna minantes,
Sed mala vicinæ paſſos contagia gentis,
Nunc primùm aſpicias dociles ſervire Britannos.
CÆSARIS EST: REDDAS: ſententia dia. Sed oro,
Quæ mea, quæ tua ſunt, dic, ſi vis Cæſaris eſſe:
Dic, quo jure ferox ſibi vindicet omnia Cæſar.
Anne uni tot mille hominum parere neceſſe eſt,
Ni proles fuerit divûm, cui gratia, fama,
Formaque cui præſtans, cui pollens robore corpus,
Indita vis animi, mens æqua, & conſcia recti?
Trojugenæ, ſi vos ingentia nomina captant,

℣ 26. LIBERTAS] Erat Romanis dea, cui atrium extructum fuit & dedicatum ab *Aſinio Pollione*. Ad hoc atrium conveniebant viri docti, philoſophi, poetæ, oratores, &c.

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria libertas *tangere paſſa ſua eſt.* Ovid.

Græci etiam *libertatem* & *libertatis* deos coluêre.

℣ 40. TROJUGENÆ] Romani optimates ita à poetis ſunt appellati, quia ſe jactabant à Trojanis ori-

Imperi-

Imperiumque pati tandem libet, ab Jove parvum
Poſcite ſemideum; aut ſaltem perquirite regem,
Ut mos eſt apibus. Néve hoc jocularе putetis
(Sæpe tamen rebus veſtris jocularia proſunt)
Exemplum, ô cives; en, qualis cœlicolûm, rex
Eſt apium, pariterque ſuos ſupereminet omnes,
Inſignis ſquamis, alis inſignis, & ore.
Non illum faſtus tangit, nec regius ardor
Solvitur in Venerem, nec vexat pectus honeſtum
Turpis avarities: non magnis aula rapinis
Creſcit, nec tentant Pharſalica bella Quirites.
Stat ſua cuique domus, conſtructaque mella; ſtat ingens
Rex, pater, & cuſtos operis, morumque magiſter.
Rex erit ille mihi, quo nomine cunque vocatur,

undos. Ac neſcio quid Gallici & Britannici ſcriptores de Trojanâ nobilitate fabulantur. Sin autem vera eſt fabula, & nos certam originem à Trojanis ducimus, ædepol equidem pius ille Æneas, nunc, cùm divûm epulis accumbit, obliquo lumine ſuos ſpectat nepotes.

℣ 43. UT MOS EST APIBUS] Apium reges, vel (ſi mavis) reginæ, nec non regiæ domùs principes omnes magnitudine, formâ, & ſpecie corporis cæteris præſtant. Longè etiam plebi excellunt ingenio & ſcientiâ.

℣ 54. REX ERIT] Hoc loquendi genus erat veteribus in proverbio:

At pueri ludentes, rex eris, *aiunt*,
Si rectè facies. Horat.
Qui rectè faciet, *non qui dominatur*,
erit rex. Auſon.

Rex

Rex erit, arte ſuâ qui publica commoda juvit,
Sobrius, & ſapiens, civis bonus, utilis agris,
Felicis cultor pacis, fortiſſimus idem,
Libertas moriens ſi quando accendit ad arma.

Inventumne tuum eſt humanis uſibus aptum?
Charior es ſuperis, quàm qui nunc victor ad Iſtrum
Fulminat inſignis bello, quem Turcica clades
Ornavit ſpoliis. Vel te, vel judice Varo,
Pocula qui primus tornavit fagina, ſeu qui
Baſcaudam fecit, (quid non fecêre Britanni?)
Perſarum ſuperat reges, magnoſque Philippos,
Cæſareamque domum. Haud unquam victoribus ipſis
Profuit, haud unquam placuit victoria divis.
Ilium in Italiam portantia, & arma virumque,
Conſiliis vix ipſa ſuis, volventibus annis,

ỳ 62. VARO] Perelegantis ingenii viro, experto exercitoque armis, & acerrimo libertatis vindice.

ỳ 64. BASCAUDAM] A Britannis inventam & ad Romanos tranſlatam, A Basket.

Barbara de pictis veni Baſcauda *Britannis,*
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam. Martial.

Fata viam faciunt; adeò terrâque marique
Turbatur, fatiſque obſtant contraria fata.
At tandem Æneas regnum dotale recepit,
Non tam quòd præſtans bello, quòd torſerat haſtam,
Quòd præſtans formâ, Veneriſque à ſanguine clarus,
Quàm quòd juſtus erat, quòd & idem rexque paterque,
Quòd cunctis pietate prior. Sinenſia regna
Miremur, quæ immota manent, ſemperque manebunt:
Cùm, quæ olim fuerat caput orbis, nunc Lare parvo
Nititur, & quicquid Veneri promiſerat ipſe
Jupiter, anguſto contenta eſt limite Roma,
Ac putat eſſe aliquid magnas jactare ruinas.

℣ 76. SINENSIA REGNA] SINA, quæ vulgo appellatur CHINA, culta admodum & fertilis regio eſt, ultima terrarum Aſiæ; imperium vaſtæ magnitudinis, nempè in quindecim provincias, ſeu potiùs regna ampla, diviſum. Omnes artes ingenuæ, ſcientiæque, & leges populo ſecundiſſimæ apud *Sinenſes* vigent, nec alii, quàm literati, & CONFUCII philoſophiâ imbuti, ſummas imperii dignitates obtinent. Imperii epocha incipit ab anno MMDCCCXLVII. ante Chriſtum natum, uti teſtantur *Sinarum* annales. Conſule hiſtoriam *P. Du Halde*, nuperrimè editam: is enim *Sinas* fuſiùs deſcripſit.

℣ 79. VENERI PROMISERAT, &c.]

His ego nec metas rerum nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.

Æneid. I.

Qui

Qui favor, aut quæ vox ſuperûm Sinenſe beatum
Efficit imperium, nullo mutabilis ævo?
Audi hæc, & ſanctum Confucî numen adora:
Summa SALUS POPULI *lex eſto, & ſumma piorum*
Relligio, ſumma hæc eadem quoque gloria regum.
Sive foro, ſeu quid caſtâ verſatur in aulâ,
Hæc lex conſiliis ſeſe ingerit omnibus; hæc lex
Præfectos procereſque facit, movet arma deoſque:
Omnis & in populo regis ſtat cura parentis.
Sed tamen et regi ſua ſunt inſignia, equique,
Servique & ſatrapæ, gemmæ, longa atria, pluresque
Uxores; nequid deſit regale, quod uſquam eſt.
Verùm hæc nec plebis ſunt duro parta labore,

℣ 84. CONFUCÎ] CONFUCIUS fuit Socrates *Sinenſis*, philoſophus maximus & legiſlator. Doctrinam morum potiſſimùm excoluit, ipſe doctrinâ omni & virtute ornatiſſimus. De vitâ CONFUCII & ejus philoſophiâ vide *Proſperum Intercettam, & Du Halde.*

℣ 85. SALUS POPULI REX ESTO, &c.] Ex unâ hâc *Sinenſi* lege pendent cæteræ omnes, nec non & Imperatoris & *Mandarinorum* edicta omnia, decreta, conſilia, ſententiæ, cogitationes & auctoritas.

℣ 90. OMNIS ET IN POPULO, &c.] *Sinarum* Rex eſt tanquam paterfamilias, ſic populum curans & fovens, ut ſi omnes ex ſeipſo nati eſſent; ſic in omnium oculis vivens & imperans, ut ſi patriæ, non ſibi ipſe natus eſſet.

Nec

Nec ſcelerata dedit facilem victoria prædam.
Non aliena cupit; nec belli quærit Hoangti
Cauſas, nec numerat lauros; nec opima tropæa,
Nec vaſtæ cædes Sinenſis nomen honeſtant.
Illi omnes odio, qui magnâ clade ſuperbi,
Aut rapto reges vivunt. Si fortè Philippus
Dona ferens poſcat Sinenſi fœdere jungi,
Rex regi; (alter terræ, at cœli eſt filius alter)
Legatis pater hæc Sinæ reſpondeat æquus:
Qui procul à nobis, ſemper procul eſte, latrones
Crudeles, avidi, meditantes bella, rapinas,
Atque virûm ſtrages, queis pacem et munera fertis!
Curſatur terras omnes, maria omnia circum;
Nempè unus regem veſtrum non continet orbis,
Nec locus eſt ſceleri ſummo. Quid America vobis?
Quid gemini feciſſe juvat certamina mundi?

℣ 96. HOANGTI] i. e. Filius cœli; titulus, ſive cognomen regis *Sinarum*.

℣ 100. PHILIPPUS] III. aut quiſquis Philipporum ille fuit, qui illis temporibus rex Hiſpanorum fuit.

An tanti ſunt fulva metalla? Latere volentes
Effodiuntur opes: operi deus inſtat Iberus
Infando; utque unum valeat ditare tyrannum,
En, terras populat latè, inſonteſque Penates;
Atque nefas ſuadet, quantum haud molitur Erinnys!

Dignus & ille cruce eſt, & vulture, quiſquis avaro
Tradidit imperium; quiſquis, quo jure Quirites
Plectantur, docuit. Si quando Claudii acervos
Fufidius laudat, ſi amplos paraſitus honores

℣ 111. AN TANTI SUNT FULVA METALLA?] *Sinenſes* non cudunt aurum. Verùm omnis omnino moneta *Sinenſis*, & pecunia ſignata ex argento & ære conſtat.

℣ 112. DEUS—IBERUS] Caycus Americanus dynaſtes ſuos monuit, ſi evitare crudelitatem Hiſpanorum vellent, deum eorum colerent, & capſulam auro refertam oſtendens, *Iſte eſt*, inquit, *Hiſpanorum* deus. Idem negavit, *ſe cælum velle, nè ſibi communis cum Hiſpanis habitatio eſſet.*

℣ 114. EN, TERRAS, &c.] America per ſummam crudelitatem & avaritiam Hiſpanorum incolis MM exhauſta eſt.

℣ 116. VULTURE] Reſpicit Tityi pœnam apud inferos, qui hâc lege damnatus eſt, ut vultur ejus jecur exedat.

℣ 118. CLAUDII] Imperatoris, regis, vel tyranni cujus cujus, qui rapinis in immenſum crevit.

℣ 119. FUFIDIUS] Fœnerator famoſus apud Horatium L. 1. S. 2. De Fufidio *Miltoniano* nihil certò comperi, niſi quòd Chriſtianiſſimum Petri nomen aſſumpſerit, & veterator fuerit nequiſſimus.

Græculus

Græculus enumerat Pallantis, claraque facta;
Ille tuus, moneas, fabellam narret anilem
Spenſer, & exemplo eſt; ſive hanc inimica tyrannis
Compotrix lepida, atque ad rem cata dicere, ſive hanc
Nutricem mentita ſuo dictavit alumno
Calliope. Obſtupuêre feræ, dum carmine vates
Mordaci ludit ſub ſimii imagine regem.
Simius & verus fuit: at diadema leonis
Armaque, ſceptrumque, & barbam, pellemque decoram
Furatus, regem didicit ſimulare leonem.
Tum quoque præfectum regni ſub vulpe latentem,
Et varias memorat fraudes, & mille rapinas.

℣ 120. GRÆCULUS] Antiſtes fuiſſe dicitur famoſus, qui fœdis adulationibus ditiſſimum obtinuerat ſacerdotium.

℣ 121. FABELLAM—ANILEM] **Mother Hubberd's Tale.** Elegans equidem & benè morata eſt fabula, quam in uſum ſui ſeculi regum & regulorum, proregum, principum, & præfectorum ſcripſit EDMONDUS SPENSER, poeta inter Anglos celeberrimus, regnante Elizabethâ. Perlegas, mi lector, hanc fabellam: neque enim ignobile eſt carmen, neque hiſce temporibus indignum.

℣ 123. COMPOTRIX LEPIDA] Fingit SPENSER nutriculam, ſeu compotricem anum, ægrotanti amico aſſidentem, hanc fabellam ad ejus voluptatem garrire.

Tum canit, & credas: Nunc ſunt, ſemperque fuêre,
Semper erunt (neque enim magis eſt lupus ipſe timendus)
Simius & vulpes KAKA ΘHPIA, ſive leonum,
Sive hominum ſpeciem ſumunt, & nomina regum:
Haud unquam commiſſa alter luiturus, & alter,
Ni deus interſit vindex, reducemque leonem
Gratatus, miſeræ reddat ſua gaudia genti.

Heu, quem non agitat, ſeu rex, ſeu Cæſar habetur,
Falſus honos, ſtrepituſque armorum, & dira cupido
Regnandi latè! Si terræ vinceret orbem,

℣ 137. REDUCEMQUE LEONEM] Inſignia regia leonis, dum altum dormit, furatus eſt ſimius & clàm eripuit; quibus ornatus leonem ſimulavit, regnum occupavit, & vulpi permiſit. At tandem deus aliquis leonem expergefacit, increpat, reducit, & inducit in regnum ſuum. Sic in fabulâ. Rectè an perperam interpreter, exiſtimes velim, mi lector, reducem leonem hieroglyphicum eſſe libertatis ſignum, quippe nihil timet, neque ſuſpicax eſt, neque limis ſpectat, neque ad dormiendum in loca remota & ſecreta ſecedit; quippe denique gratus eſt, & memor accepti beneficii. Idcirco celeberrimæ reipublicæ inſignia ſunt, *leo erectus pileum libertatis geſtans*. Quis jam locus, quæ regio non eſt plena laborum Belgici leonis, qui ſeptem provincias in libertatem vindicavit, auxit, ditavit? Porrò autem reſpice S. Marci leonem, Venetorum decus & præſidium.

Lunam

Lunam affectaret; posset deducere lunam,
Stultitiâ peteret cœlos, sive Ossan Olympo
Imponat, falso tonitru seu terreat urbem
Salmoneus, magnique Jovis sibi vindicet aras.
Sis licet Augustus, sis ingens induperator,
Dacia jamque tibi, ac dederit Germania nomen;
Te tamen altisonum dominumque deumque vocari,
Domitiane, jubes. Tantone colendus honore es?
Cœlitibusque ipsis æquandus? Scilicet: hostes,
Te duce, Romani quum tot sine numine vincunt;
Et tute ipse potes tantas occidere muscas.
At benè qui trutinâ pensant, & perspiciunt dî,

℣ 147. DACIA, &c.] *Dacici* nomen, & *Germanici* Domitianus assumpsit à devictis Dacis & Germanis.

℣ 148. DOMINUMQUE DEUMQUE] Cùm procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam Domitianus, sic cœpit, Dominus & deus *noster sic fieri jubet*; unde institutum posthâc, ut ne scripto quidem ac sermone appellaretur aliter. *Sueton.*

℣ 152. OCCIDERE MUSCAS] Quotidiè secretum sibi horarium sumere solebat (Domitianus) nec quidquam amplius, quàm muscas captare, ac stylo præacuto configere: ut cuidam interroganti, *Essetne quis intus cum Cæsare*, non absurdè responsum sit à Vibio Crispo, *Ne musca quidem. Sueton.*

Quid

Quid valeant homines, haud nunc in ſidera poſcunt
Terrarum dominos: nec poſthâc, Mœri, videbis
Hîc ſub nocte canens procedere Cæſaris aſtrum,
Hîc ſub nocte canens fulgere Cupidinis ignes.
Nam neque jam Veneri facta eſt coma regia ſidus,
Nec cœlis, Ariadna, tuam fixêre coronam,
Quos tibi ſupremos conjux mandavit, honores;
Nec quicquid mendax Æſopi pagina finxit,

℣ 155. NEC POSTHAC, MOERI,] Vide *Virgil. Ecl.* 9.

℣ 157. CUPIDINIS IGNES] Bereniceum ſcilicet quale, aut Ariadneum ſydus.

℣ 158. COMA REGIA] Nempè Berenices Ptolomæi Euergetæ uxoris. Comam Veneri vovit & dedicavit Berenice, quam Conon mathematicus inter ſydera retulit, hôc figmento captans regis Ptolomæi gratiam. Vide *Catulli elegiam de comâ Berenices.*

℣ 159. ARIADNA] Bacchi uxor, cujus coronam ſtellis ornatam Bacchus in cœlos collocavit. Corona Gnoſia vocatur.

Gnoſiaque ardentis decedat ſtella coronæ. Virgil.

Specioſo hôc nomine poeta notari voluit principem quandam fœminam iſtius ætatis. Ego hæc omnia intelligo (forſan malè) de Annâ reginâ, Jacobi I. uxore, quæ obiit anno MDCXIX.

℣ 161. ÆSOPI] Fuit iſte Æſopus & comœdus & poeta comicus. Scripſit comœdiam, cui titulum fecit SO. Ut intelligas autem, quid ſonet nomen hoc monoſyllabum, ex Græco putes fieri verbo Σόω, ſive Σόομαι, i. e. *In fugam me conjicio, abire cogor.* Acta eſt hæc fabula ludis funebribus Ariadnæ.

Nec

Nec quicquid tumulo vox Puppî blanda dicavit.
Ille eheu, fruſtrà gemebundus obambulat aulam!
Fruſtrà limat opus par nobile grammaticorum,
Si luctus, ſi grande ſophôs riſere Camœnæ!
At riſiſſe nefas, mihi dixerit Hortalus, iſte
Pammorum princeps, & nè ſis neſcius, hæc eſt
Cauſa, quòd ipſe chorus Phœbi ſit ſqualidus omnis,
Quòd nec honoratas habeat pia regia Muſas.
At quid ſi mutent veſtes, lugubria ſumant,
Pectora plangentes ſi plorent fata ſororis,
Et juga Parnaſſi jubeant, & flere myricas,

℣ 162. PUPPÎ] Hoc nomen indidit poeta noſter poetæ cuidam tragico ex Patriciâ gente, qui ſcripſit funebres laudationes Ariadnæ, miſeros mimiambos:

Lacrymoſa poemata Puppî.
Horat.

De Æſopo & Puppio *Miltoniano* plura aliquando dicemus.

℣ 164. PAR GRAMMATICORUM] Quibus ſeſe expoliendum limandumque tradidit noſter Puppius.

℣ 167. PAMMORUM] i. e. nebulonum. *Pam* fuit poeticum Hortali nomen, viri nequiſſimi & ingenio verè aulico. Nomine hôc hominem donavit Cadenus noſter. Vox *Anglicana* eſt, olim uſitatiſſima, nunc obſoletior; ſed ſatis cognita iis, qui chartis ludunt.

℣ 171. SORORIS] Quid ſi ita lugeant Ariadnam, quaſi una ex ſororibus Caſtaliis ipſa eſſet, decima nempè Muſa?

Doctaque

Doctaque jam tandem lachrymas in carmina vertant?
Hoc etiam in vitium flectat. Quippe omnia bellè
Cùm ſint dicta ſatis, nec quid videatur ineptum;
Hæc tamen Ironia ſuo perverſa cachinno
Confundet. Verùm quid denique? Quærere rebus
Materiam nequeunt aptam, nec condere carmen
Innocuum Aonides, ex quo objurgare Britannos,
Et miſcere parant Tameſini fluminis undas
Gurgite Caſtalio. Jocularia, triſtia dicant,
Ranarum reges, Dodonæoſque tetrarchas,
Delirumque ſenem, juvenemque, canemque loquacem,
Sive alias ſibi fabellas, aut ſomnia fingant;
Credideris Pallanti, uno de Cæſare cuncta,

℣ 182. RANARUM REGES, DODONÆOSQUE TETRARCHAS] Alludit poeta ad ligneos reges in fabulâ, quos Jupiter ranis conſtituit, ut qui mitiſſimi eſſent; quos &. Corſis & aliis gentibus populiſque nuper commendavit feſtivus orator, qui libertatis publicæ, & *communis ſenſûs* cauſam agit. Nota obiter ranarum reges ex quovis ligno fabricatos fuiſſe, verùm Dodonæos ſolo ex robore natos.

℣ 183. DELIRUMQUE SENEM, &c.] De ſenili amore quædam jocularia edidit poeta, & fabulas narravit breviores in uſum ſereniſſimorum regum.

Nomine

Nomine mutato, Muſas finxiſſe putares.
At dictis ſi facta addunt, ſi pondera nugis,
Si malè ſalſæ ipſum lædunt Pallanta Camœnæ,
Si emptos objiciunt patres, temerataque jura,
Regum divitias, & vectigalia magna,
Contemptos proceres, mercatorumque querelas,
Lege fatigatos cives, miſeroſque colonos,
Corruptos mores, atque arma in pace timenda;
Raucus adeſt Caprius: crimen ſtruit, indicat atrox
Verborum interpres: firmatur judice Fuſco
Conſulto ex re. Novit Fuſcus (qui omnia novit)
Quo caſu, quo animo infelicis carminis auctor,
Quâ prece, quo pretio cuncta hæc memorare volebat:

℣ 194. CAPRIUS.] Immanis cauſidicus vel rabula, Pallantis ſervus, & ſtipendiariorum poetarum, oratorum, & hiſtoricorum quæſtor. Ad hoc, cameræ ſtellatæ (the Star Chamber) ex procuratoribus erat unus, & ex omnibus unus, qui regiis negotiis advigilabat: et ita advigilabat, ut qui in omnes iſtius ævi ſcriptores, qui θήσεις politicas ſumebant, inquireret, probri accuſaret, damnaret.

Hoc delatoris acerrimi nomen poeta mutuatus eſt ab *Horatio*, L. I. *Sat.* 4.

℣ 195. FUSCO] Ebrioſo judice, qui dicta, ſcripta, leges, ſenatûs conſulta ad voluntatem Pallantis interpretari ſolebat, haud unquam verò in mitiorem partem.

Et voluiſſe ſat eſt : ſatis eſt voluiſſe videri.
Jam peragunt fævi Pallantis juſſa miniſtri,
Impia plebs, inviſa deis, proleſque gigantum.
Irrumpunt, lacerant, rapiunt famulumque laremque,
Et teneras auſi damnare in vincula Muſas,
Et patrios auſi monitores temnere divos.
Uſquè adeóne ſcelus patitur, nec præſcia fati
Bellica gens? An, quæ cecidit (nam credimus omnes)
E cœlo, nulla eſt ſacræ reverentia chartæ?
Siccine Palladio, ſic advigilatis, inertes
Trojugenæ? O, ſi fortè aliquos pia cura nepotum
Tangat, degeneres nuſquam, ſi fama ſaluſque
Imperii! (et tales, licet, augurer eſſe futuros)
Hi mentes oculoſque uno hôc in carmine figant:

CANDIDA LIBERTAS NUNQUAM RESPEXIT INERTES.

℣ 207. SACRÆ] In codicibus quibuſdam, *magnæ*. Magis placet τὸ *magnæ*, & veriſimilius videtur ita ſcriptum fuiſſe a Miltone; qui ſanè quidem in hoc loco ſignificari voluit ſacrum illud fœdus, quo rex populuſque Britannus & olim & nunc obſtringuntur, quodque *Magna Charta* vocatur, firmiſſimum libertatis præſidium.

Hæc

Hæc ſat erit—mea ne culpetur epiſtola, & aures
Offendat dominas, ſi immani ſcire Latinè
Contigerit Caprio, hæc ſat erit monuiſſe Quirites.
Et vafer ille ſenex, qui rerum callidus uſu
Multorum potuit regum cognoſcere mores,
Sæpè ſuo hæc eadem Cal—— prædixit ab antro.
Sæpè pius vates, felix imitator Horatî,

℣ 215. MEA NE CULPETUR EPISTOLA] At culpata eſt, hodieque culpatur à paraſitis aulicis, ab ardelionibus magnis, & advocatis quibuſdam ex Capriorum gente, qui, cùm argumentum & modeſtiam carminis damnare, tum ignoratæ Latinitatis crimen poetæ noſtro exprobrare audent. Qui verò advocati? ſi doctis credas, indoctiſſimi; ſi leguleiis, Latiniſſimi. Nempè enim Latinitatem omnem aſpernantur & reſpuunt præter rhythmicam, & monachicam, & foro ſuo accommodatam.

℣ 220. CAL—] Ita in MS. noſtro; in cujus autem margine legitur hæc nota incerti auctoris:

" CAL—] Alii legunt *Calchas*,
" alii *Calvus*, alii aliud. Quicun-
" que autem fuit ille Cal—, certè
" equidem augur fuit & facetus
" orator, qui plurima callidè argu-
" téque dixit, & prædixit; qui
" nunquam deſiit de republicâ op-
" timè mereri, pulchras libertatis
" imagines oculis, auribus, ani-
" mis civium inculcando.

℣ 221. PIUS VATES] Eâ tempeſtate floruit Johannes Donne, eccleſiæ S. Pauli decanus, gravis doctuſque poeta, qui urbis & aulæ vitia diligenter notavit. Hunc ipſum decanum, quantum ſuſpicor, honeſtis hiſce appellationibus Milto deſignat. Verùm, mi lector, conſule elegantiſſimum poetam, qui Donnianas ſatiras Anglicè vertit, quo tandem certior fias de ſententiâ meâ.

Hæc eadem cecinit, cùm tendit Apollinis arcum,
Cùm patriæ, cùm diis violatis advenit ultor.

BENE compertum eſt mihi, ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam à Miltone noſtro; quo anno incertum. Miltonianam eſſe teſtatur liber ſpiritus, & indignatio, quâ tota calet, liberrima. Veri autem & ingenui animi indignationem excuſet priorum temporum ſervitus, laudet (ſi qua eſt) noſtrorum clementia. De ſtylo & verſificatione nihil dico. Quid ſtatuendum ſit, docti judicent: et acriter iſti ſanè judicabunt, velim, nolim, qui favent expolitis Fannî næniis, neque unquam in ædem libertatis intravêre. At parum adjuvant hoc carmen explicantque, quas adjeci, notæ: ſcio. Eſt nimirùm difficile ex rebus fabuloſis elicere veritatem, & iconicos, quaſi in tabulâ, exhibere Miltoniani ævi duces & præfectos. Qui tanto operi ſe accingit, ignota tanquam nota, antiqua tanquam recentia prolaturus palam, illi ædepol neceſſe eſt alio pingere penicillo, aliiſque coloribus, ac meis. Ego ſatis audacter feci, qui epiſtolam hanc in publicum dedi. Ancipitia loca & vocabula, ficta & inuſitata nomina, ad quæ explicatio mea haud multùm profecerit, enodanda permitto circumforaneis iſtis & ſtipendiariis oratoribus, qui ſomnia interpretari ſolent, qui mentes noſtras in magiſtri verbis & crumenis ſuis ſcitè ſcrutantur: qui tamen, ſi quid peccant, impunè peccant. Plurima fateor me ignorâſſe, plurima leniùs illuſtrâſſe, plurima denique ſilentio præteriiſſe mihi cavendo. Nam profectò formidoloſior ſum; et

& cavendum eſt vel à mortuis regibus, etiamſi centum abhinc annos mortui fuerint; quippe quorum cineres, ſi quos incautiùs ſuſcitem, noceant lippitudini meæ. At ſcribentis periculo ſcripti gratia augetur, & decorum eſt vel capitis periculum ſubire pro patriâ, pro civibus. Num ergo in eâ civitate, ubi luxuries, adulteria, rapinæ & fœdiſſimæ ſycophantiæ magna habent præmia, magniſque exemplis nituntur? ubi virtutes & artes ingenuæ ne quidem patrocinium inveniunt? ubi a principibus viris (qui principes!) ridetur, quiſquis de republicâ ſtudet vel optat benè mereri? Mihi hercle feci ſatis, ſi effecerim, ut vim hujus carminis ſentiant lectores.



SERMO PEDESTRIS

SCRIPTUS EST ET EDITUS ANNO MDCCXXXIX.

ÆREARUM TABULARUM

Explicatio.

I. TABULA *exhibet figuram hominis aulici, qui veterem ſuum amicum academicum & ſemipaganum regiis, quæ exponit, præmiis in aulam quàm liberaliter invitat. Academicus, homo abſtinens, aſpernatur & reſpuit omnia, digito monſtrans Virtutis templum, quam unicè colit.*

II. TABULA, *ſcilicet litera maxima ſive initialis exhibet figuram Apollinis, qui cenſori ſupplicat, eique commendat, quam aliquis ex choro ſuo fecit fabulam.*

III. TABULA *in hâc bipartitâ ſtat Fortuna, regium diploma fabro aut alicui ex infimâ plebe porrigens, & lauro cingens aſelli caput. A dextra conſpicitur præfecti procurator, pecuniam ab illo dinumerans mercenariis ſcriptoribus, omnium ordinum hominibus.*



Gul. Green Jun. Delin.

P. Fourdrinier Sculp.

SERMO PEDESTRIS.

F. S. *A. A.*



UNT, queis diſplicuit Miltonis epiſtola; quippe
Qui agnovêre ſuos antiquo in carmine vultus.
Hic, Ego ſum Pallas, inquit; vos,
nobile vulgus,
O ſocii, O proceres; tu, blandi Puppius oris,

Mi

Mi Fanni; tuque (O indignum!) venerande ſacerdos,
Comœdus certe: tum Fuſcum, Fuſidiumque,
Et Caprium digito monſtrat, damnatque poetam.
Græculus hic alter, caſulam qui vertit in ædes
Marmoreas, hic, qui modò crevit ab aſſe, ſuperbus
Conſultor, mihi jus minitatur, judiciumque,
Ignemque; & Muſas quærit violare Latinas.
Quid faciam, ſi nec recitare poemata, doctus
Quæ cecinit vates, Carolo regnante; nec auſim
Diis patriis, laticeſque meis, ſua dona, Camœnis
Caſtalios libare, novumqne intendere carmen?

A. A. At tibi Pindaricos numeros tentare licebit.
Tale tuum fiat carmen, nec gratius ullum eſt,
Quale ſuo mulcet modulamine Cæſaris aures,

✠ 11. IGNEMQUE] Scilicet quo in viis publicis, curiæ decreto, comburatur Miltonis epiſtola.

Annua

Annua vota canit cùm lauriger hiſtrio, Muſis
Invitis licet, & Phœbo renuente: ſed illi
Adſpirant proceres; auditque vocatus Iacchus.
Te quoque jam audierit, properes modò dicere reges
Magnificè, argutâ citharâ fidibuſque canendos.
Cernis, ſit quantus Cæſar Germanicus, armis
Et præſtans animo, pietate inſignis & ore;
Rex regum, certus Romani nominis hæres;
Induperatoris titulus cui ceditur uni.
Hunc tu cantato; ſeu reddat jura Polonis,
Seu jubeat pacem fuſos expoſcere Turcas.
Deinde novas vires, nova blandis laudibus effer
Fœderaque, & ſocios: manibus da lilia plenis
Gallica, & intexens gemmis auroque, ſuperbis

℣ 19. HISTRIO] Hic eſt ille hiſtrio, ſeu pantomimus, qui noſtris ab optimatibus, ſuo ſeculo faventibus, donatus eſt laureâ, ſi non Apollinari, at regali tamen; quotannis donandus firmiſſimi vini dolio, ut nunquam niſi potus proſiliat ad Cæſaris laudes dicendas. Sic ſucceditur Drydeno noſtro!

℣ 25. CÆSAR GERMANICUS] Carolus VI. Romanorum, ſive Germanorum imperator.

℣ 28. POLONIS] Carolus VI regem, qui nunc eſt, conſtituit Polonis.

Necte coronam aquilis: ſed non & vincula necte:
Sed non & belli cauſas, arteſque animamque
Ultricem, Bonevalle, tuam memorare neceſſe eſt.
Dic quoque res geſtas, & fortia corda Philippi;
Cui montes auri dii dant, & utroque ſub axe
Regna quidem meritis permittunt debita tantis.
Ille etenim, quas nec ferrum, maris ira, nec ignis,
Nec conjurati poterant terrere gigantes,
Invictas ſiſtit claſſes, populique ferocis
Ductores jam nunc nutu tremefecit inermis.
Tum plectro majore canas juvenemque, ſenemque,
Qui bello & verbis contendere doctus, alumno
Quique ſuo advigilans aliena negotia curat,

℣ 35. BONEVALLE] Boneval, dux Germanorum, natione Gallus, qui gravem ſibi immerenti a Germanorum imperatore oblatam fuiſſe injuriam arbitratus, ad hoſtes transfugit, Turcas ſcilicet.

℣ 41. INVICTAS SISTIT CLASSES] Alludit ad claſſem Britannicam, magnis ſumptibus paratam, bellicis inſtrumentis & omnibus rebus inſtructiſſimam; ſed totâ hâc æſtate in portu (*ſcil.* Spithead) navigantem, & vanas exercentem minas.

℣ 43. JUVENEMQUE] Ludovicum XV. Galliarum regem.

℣ id. SENEMQUE] Cardinalem de *Fleury*, præfectum regni.

Quique

Quique, ſuis monitis, effecit, ut omnia cedant.
Nimirùm emendat, regit, auget, donat & aufert
Res, urbes, gentes, commercia, fœdera mundi,
Magnanimûmque heroum fata, impunè licere
Et ſibi quæ voluit conjux violenta Philippi,
Lancibus & quicquid ſuſpendit Horatius æquis.
Si vetulo arridet terræ angulus unus & alter,
Protinùs imperio accedit. Fundum, ecce, laremque,
Et proavos, Lotharinge, tuos ille impiger hauſit.
Te quoque, poſt nullos reges memorande, (palatum

℣ 50. CONJUX VIOLENTA PHILIPPI] Elizabetha Parmenſis, uxor Philippi V. Hiſpaniarum regis.

℣ 51. HORATIUS] Ne in hoc nomine, mi lector, erres, te monitum volo, Horatium hunc neque Romanum eſſe, neque poetam, neque Muſis amicum, neque philoſophum, neque divitiarum contemptorem, neque tumultibus urbanis alienum; ſed fœderum, induciarum, pacis & belli oratorem nervoſum, volubilem, canorum, conſummatum; æqualitatis, æquabilitatis, æquanimitatis, æquilibritatis judicem unicum.

℣ 54. LOTHARINGE] Franciſcus Stephanus, dux olim Lotharingiæ, magnus hodie eſt dux Etruriæ: Lotharingiam ſuam potentiſſimo Gallorum regi cedere coactus eſt. Anno MDCCXLV electus fuit imperator Romanorum.

℣ 55. TE QUOQUE, &c.] Qui Lotharingiam ad imperium ſuum jampridem adjunxit, jam inde Corſicam in provinciam redigere meditatus, miſerabile iſtius loci incolis

Forſitan exacuunt annoſum Corſica mella)
O Theodore, parat ſpoliare, & pellere regno.
Cætera de genere hoc, ne te morer ordine longo
Regum, prætereo. Ipſe tamen celebrare memento
Sceptrigeros omnes: at non ſine numine nomen
Herois recines plumati auroque nitentis,
Terrificaſque viri criſtas; quem reſpicit Arctos,
Æquora cui parent, cui militat ultima Thule.
Quàm benè rem facies, ſi palpes undique gnarus,
Quæ teneat magnos blandiſſima formula reges?
Si titulis, ſi quod deſit virtutibus, addas
Fingendo bellè? Verùm ne quære moleſtus,
Albus, necne fuat, cui rerum ſumma poteſtas
Ab Jove concеſſa eſt: ſis corvum nactus, adorna
Auratis plumis, animoſque infunde viriles.

infert bellum. Corſis autem, pro patriâ & libertate dimicantibus, ut omnia proſperè feliciterque eveniant, etſi precamur omnes; nemo tamen ex iis, quorum plurimum intereſt, auxilium miſeris auſus eſt mittere.

Corſi, poſtquam a Liguribus deſcitum eſt, quendam, nomine Theodorum, ſibi regem aſciverunt.

F. S.

F. S. Eheu, non noſtrum eſt feſtum componere carmen;
Nec fas heroas cuivis celebrare poetæ,
Quales nunc æquus præfecit Jupiter orbi!
Nam ſiquis pretium miſero pro carmine poſcit,
Turpis adulator ſi idem foret, oderis ultrò.
At ſæpe Aonii vatis latet anguis in ore:
Ut, cùm Cadeni fictâ gravitate Camœna
Pelidæ ſtomachum, mentem ſapientis Ulyſſei

℣ 77. CADENI] Anne hic de proſapiâ Cadeni *Miltoniani?* Aliuſque & idem. Extat F. Schefferi epiſtola ad Cadenum noſtrum, cujus hoc eſt principium:

Semper culte mihi, ſemper, Cadene, *colende,*
O decus & patriæ tutamen! crimina, curas,
Atque hominum mores, & quicquid pulpita damnant,
Seu nunc tu meliùs tractas irriſor acerbus;
Seu Phœbi ſtimulis igneſcens fundis iambos;
Aut Stellæ *laudes recitas, & amabile carmen:*
Si locus eſt interpellandi, en, barbarus audet
Ire ſalutatum, veniamque expoſcere nugis.

Hanc epiſtolam notis illuſtravit P. O. D. Quæ vero ad Cadeni nomen adjecit, hæc ſunt: Cadenus. *J. Swift,* S. T. P. *ſui ſeculi deliciæ; nec tàm patriæ, quam humani generis decus. Si virtutes illius contemplemur, nemini ſecundus; ſi divinum mentis ingenium, omnibus major. Qui ſummam propter humanitatem, pietatem, eruditionem, ſtudiaque, quæ ſemper coluit, & ipſe literatis omnibus, quotquot nunc ſunt, & poſteris ſemper colendus. Linguam Anglicanam uſque ad faſtigium venuſtatis provexit, & feliciſſimis numeris luſit poeta. Quippe* Cadeni *ſpiritum, vim, & carminum*

Auguſto

Auguſto dederit, dederit ditione tenere
Sauromataſque Getaſque, Indos & Sinica regna,
Luſit magna ſonans! Ridemus; ridet & ipſe,
Quas jacit, ampullas, & falſa ſimillima veris.
Crede mihi; quiſquis fuerit, tui ſemper habeto
Suſpectum, magnas qui pergit dicere laudes:
Exceptis, aut quas charis debemus amicis,
Quaſve Minervæ artes, aut quas pia Muſa meretur,
Aut patriæ, aut ſibi quas libertas aſſerit æquè.
Ipſe (fatebor enim) ſi quando tollor in altum,
Si meditor reges & prœlia, clarius & quò
Extet opus, divos, quot nunc ſunt, quotque fuêre,
Clamo ritè omnes; en, culta & blanda ſupernè

ſuavitatem vel Flacci curioſa ambitio ſibi adoptaret. Sale facetiiſque Attico lepore tinctis facilè ſuperavit omnes. Sed & in ſcriptis ſuis utile dulci ſemper permiſcuit: nec placere magis inſtituit, quam patriæ prodeſſe. Coloniam ſuam ſemel iterumque in libertatem vindicavit: in æternum vindicâſſet, bona ſi ſua nôſſent coloni.

Scripſit Cadenus poema, quod inſcribitur *Rhapſodia*. Et hîc & alibi oſtendit ironiam eſſe totam ſuam. Certè hercle in ironiâ longè lepore elegantiâque omnibus præſtitit.

Deſinit

Definit in ſatiram mea pagina, vel malè ridens
Fabula magniloquum deformat carmen anilis.

A. A. Quin ſylvas, monteſque petis, tenuique Maronis
(Non tenuis laus eſt) imitaris arundine Muſam?
Tityrus, & ſegetes, atque ipſa arbuſta placebunt.
Nam modò Silenum vidi, modò Pana canentem,
Et tum Sicelidas Muſas, quâ Cæſaris hortos
Obliquis ſpectant oculis, ſed numine amico
Vatis Apollinei Tameſinæ Naiades ædem.
Hîc iterùm dulces gauderent rure Camœnæ,
Formoſi caneres ſi quos paſtoris amores.

F. S. Heu, quìd formoſi canerem paſtoris amores?
Quídve iterùm dulces gauderent rure Camœnæ?
Latè agros cùm vaſtat aper; ſecurus ubique

℣ 100. VATIS APOLLINEI] *A. Pope*; qui olim ſcripſit Bucolica.

℣ 105. LATE AGROS, &c.] Dii boni! In quem ſtatum jam perventum eſt! Viden' hos terrarum

Cum

Cùm lupus inſidias ſtabulis meditatur; & urſi,
Et rabidi prædam, cæſis cuſtodibus ipſis,
Ah, pecus infelix rapiunt impunè leones!

A. A. Sic te difficilis fecit natura puſilli
Ingenii? Hîc tibi quod fingis, genus omne ferarum
Somnia ſunt ægri. Poſthâc vel carmina nulla
Dicere erit, vel ſaltem quæ ſint propiora pedeſtri
Sermoni. *F. S.* Nullum liceat ſi condere carmen;
O longas noctes quî poſſim fallere, vel, quæ
Jam properata malis venit, oblectare ſenectam!
Nempè mihi, caream Muſis, ſolatia nulla,
Commoda nulla manent vitæ; primoribus ex quo
Deſpectus ſum potor aquæ, Venereſque, hilareſque
Convivæ, & veteres fugiunt mea tecta ſodales.

dominos, quàm inimico vultu ſeſe invicem intuentur, rerum alienarum appetentiſſimi? Viden', quàm acriter ubique pugnatur? quæ vaſtitas oppidis & agris infertur? quæ hominum cædes? quàm horribilis? *Quæ alia vita eſſet* (Senecæ verbis utor) *ſi leones urſique regnarent?*

At

At quìd ſi, quoniam ſuades, ut carmina pangam
Sermoni propiora, leves aptentur iambi,
Urbaníque ſales (lucri eſt ſpes magna) theatro?

A. A. Si modò non deſit vis comica. *F. S.* Sin mihi deſit;
Conabor tragicus decora alta inducere ſcenæ,
Et lachrymas populo, Rufóque Agamemnona vendam.

A. A. Ah! vetitum aggrederis; nec fas intrare theatrum:
Scilicet id curat camerarius. Ille cothurnos
Induit innocuos Dolicho; prohibétque renaſci,
Si qua in honore fuit popularis fabula, ſi qua

✱ 125. RUFO] Quo nomine deſignatur præfectus theatri, ſive operarum conductarum et hiſtrionum dominus. Ejuſmodi ſunt hodiè domini hiſtrici, **Rich** & **Garrick**.

✱ id. AGAMEMNONA] Tragœdiam celebrem.

✱ 127. CAMERARIUS] Gravi jam ſenatûs conſulto ſcena hiſtrionibus interdicitur, ſiquam novam fabulam acturi ſunt; niſi hanc ipſam legat, & perlegat, & perpenſam & exploratam habeat, & diplomate ſuo muniat magnus camerarius.

✱ 128. DOLICHO] Dolichos, vel Docilis, nomen hiſtrionis eſt apud Horatium, *Ep.* 18. *L.* 1. Lector dabit hoc nomen cuilibet inſigniori ex hiſtrionibus noſtris.

Ambiguas jactat voces, artésque virúmque
Laudat, io, quisquis tituhum mutaverit anni.
Sin autem incomptis peccat comœdia verbis,
Seu reticenda jocis prodat, seu miſceat acri
Ridiculum, celſæ seu mores improbet aulæ;
Defendit portas cenſoria virga theatri,
Et notat impuros, arcétque a limine caſto.
At ſibi ſi eſuriens veniam impetrat ipſa Thalia,
Candidus aut ſiquid cenſor concedit amicis;
Quàm benè, quàm cautè penſat, caſtigat iambos,
Explicat, emendat rigidos! Quàm multa litura
Perverſos cohibet procerum, plebíſque cachinnos!
Solus enim, fuerit cùm riſus idoneus, aut non,
Democrito novit meliùs; meliúſque Catone,
Cùm jocus, infanum quærens captare popellum,

℣ 131. TITULUM MUTAVERIT ANNI] i. e. Siquis res novas molitur, aut alium regem cogitat. Tum enim anni titulus mutatur, quum ſucceditur regi.

℣ 135. CENSORIA VIRGA] Sive ea, quam in manu gerit cameræ præfectus, officii inſigne & ornamentum.

Cœperit

Cœperit in vitium verti. *F. S.* Rem noſcere tantam
Quî potuit? Num illi limo meliore Prometheus
Cor, pectus finxit, cerebrúmque, ut qui omnia rectè,
Et per ſe ſapiat? *A. A.* Minimè. Tellure creatus,
Seminióque pari eſt, ac nos: ſed lex dedit ipſa
Judicis officium, Muſis & Apolline dignum.
Ne tamen hæc leges inter numeretur iniquas,
Nobilis haud adimit cenſor jura omnia ſcenæ.
Fabellæ ſunt, quas populum ſpectare jubebit,
Et quibus interſit, cùm Roſcius egerit, ipſe.
Quin nova permittet vati argumenta pudenti;
Extra aulam modò nata forent, tractatáque rectè.
Paſiphae tauri, Pygmæi Pentheſilea

✶ 157. PASIPHAE] Scil. *Mira* iſta, quam olim carmine heroico celebravit F. S. Vulgare eſt canticum, a Guilielmo quodam *Neubrigenſi* compoſitum, & *Pammo* inſcriptum: cujus verba (quæ in ſuo loco vide) aptè collocata ſunt, & modulata ad numeros veteris iſtius cantici, **An old Woman clouthed in grey** &c.

✶ id. PYGMÆI &c.] Tempus erit, cùm apertiſſimè planiſſiméque hæc omnia explicare liceat in uſum externarum gentium & populorum. Civibus noſtris jam ſatìs aperta & perſpicua ſunt. Et quamvis quoſdam & quaſdam ſibi cognitas hiſce argumentis poeta notare velit; multi tamen, haud vulgo noti, iiſdem indiciis ſe deſcribi ſentiant neceſſe

Concubitu indulget, nec vult ſervire marito.
Non habet uxorem, at jactat ſponſalia bina
Eumolpus; nec turpe putat donare Corinnæ
Magnificas ædes. En, leno ſemivir extat
Conjugis ipſe ſuæ: dum mœchæ nomine gaudet
Fulvia, dum Lais fieri de pellice conjux.
Quis ſilet inſidias, & fœdæ furta Metellæ?
Canidiæ calices, & cœnas Naſidieni?
Cyclopem Galatea tenet; ſed doctior illo
Nunc vendit fratrem, nunc vendit ephippia fratri;
Atque Jovem ſperat mœchum, Corydona maritum
Dum ſtultum fugit! ah, Corydon ardebat Alexin!
Primores populi Sextus capit; ac ſibi plaudens
Fœnore creſcentes nummorum ſpectat acervos.
At quocunque modo auget rem, inſidiiſque doliſque:
Depoſitúmque negans, temnit veterator avarus
Et famam, & ſatiram, & divos, quos pejerat, omnes.

eſt; quæ quidem non tam ſingulorum, quàm hominum noſtrorum mores & vitia (eheu! ita eſt ſæculum) oſtendunt.

Talia

Talia cantanti facilis cenſura Camœnæ
Dat veniam, dat opes. Verùm carbone notandus,
Comicus, an tragicus fuerit, qui audentiùs æquo
Aut ſordes procerum, aut regum vulgaverit æſtus,
Molitus carmen, nunc mecum quale voluto.
Trojanis ſignare vias, diſponere caſtra
Quem penes, & toti legem præſcribere Marti,
Garrulus irati Jovis intrat Cotilus ædem;
Jurgia nec vitat, nec verbera nota Tonantis,
Et pugni & calcis patiens. Rex omnibus idem
Jupiter; illuſtréſque duces, miſeróſque miniſtros,
En, æquo pulſat pede. An iſtum ferre poetam
Fas eſt? Non; ſi captârit plebíſque patrúmque
Plauſus, ſi Phœbi lauros: ſit Gaïus ipſe,
Exeat, ah! toties quam lætam fecerit, aulâ:

✱ 180. TROJANIS &c.] Res hercle eſt ridicula, quam Olympi (noſtri) purpurati curant, & intelligunt lepidè. Nunc autem mihi non eſt tempus fuſiùs explicandi, vel dilatandi calcem Jovis. Fulmen gerit: ferit. Et tu, lector, caveto, ſiquando propiùs ſubſequeris Tonantem.

✱ 188. GAÏUS] Joannes Gaïus, Anglus, poeta cultus & elegans, vir leniſſimi animi, ingenui vultûs, & vitæ integerrimæ, ſcripſit Attel-

Nec,

Nec, ſi cenſorem Venus obſecret ipſa, moretur;
Nec vatem ſi diva ſuum comitetur euntem.
Quinetiam veterum mores, & ſcripta cavenda:
Et curâ cenſoris eget comœdia, ſeu quam
Graia tibi obtulerit, ſeu quam Romana vetuſtas.
Eloquium, numeros, veneres, venámque jocoſam
Ingenî Ariſtophanis quis non miratur? At ille
Parcere præfectis neſcit, vel regibus uti.
Indutos ſocco reges committere ſcenæ,
Perſonáſque novas cœlo deducere Plautus,
Et divos audet dicteria dicere in omnes;

lanam fabulam, [The Beggar's Opera] quæ centies ſpectata placuit, centies placebit. Scripſit & Attellanam alteram, quam hiſtrionibus & theatro interdixerunt domini poteſtatéſque, haud ipſi Veneri exorabiles.

℣ 190. VENUS OBSECRET &c.] Nobilis fœmina, Joannis Gaii patrona, dum ætas ſinebat, Veneri quàm ſimillima ore & animo.

℣ 197. PARCERE PRÆFECTIS NESCIT, &c.] Vide Ariſtophanis Comœdiam, quæ inſcribitur ΙΠΠΕΙΣ; in quâ inſectatur Cleonem, Athenienſium ducem, & reprehendit ejus furta & peculatus, etiam tunc, cùm Cleon pro ſuo arbitrio adminiſtraret rempublicam.

℣ 198. INDUTOS SOCCO &c.] Perlege Amphitruonem Plautinum.

Ipſe hanc acturu'ſt Juppiter Comœdiam!
Quid admirati eſtis? quaſi verò novum
Nunc proferatur Jovem facere hiſtrioniam.
Mercurius in prologo.

Quæ

Quæ tollenda forent. Obſcœnum de Jove mimum
Fecit inurbanus. Rex ipſe hominúmque deûmque
Officium, & cives, & deſerit atria cœli;
Fulminâque exutus gaudet levioribus armis,
Ore virum referens, & rapti prodigus auri,
Virtutíſque ſuæ. Juſſi vigilare Triones;
Sol dormire domi; ſi non tamen ebrius eſſet.
Regi ſeſe addit comitem furtíque viæque,
Et portam explorat ridens lenonius Hermes.
Quorsùm hæc? Ut divûm rex ſit nocturnus adulter,
Ludibriúmque ſuis, pérque orbem fabula fiat.

F. S. Anne hæc, quæ pueri ediſcunt, quæ publicus uſus,
Et quæ mille anni, quin addas mille, ſacrârunt,
Jam limam meruiſſe putes? Pol nullum ego carmen,

℣ 205. RAPTI PRODIGUS AURI] Pateram auream uxori uſurariæ condonavit rex Jupiter, ſive Pſeudo-Amphitruo; quam clanculum & per præſtigias de ciſtulâ veri Amphitruonis exemerat. Vide *Amphitruon. Act.* 2. *Sc.* 1.

℣ 207. SI NON TAMEN EBRIUS ESSET] *Credo edepol equidem dormire Solem, atque appotum probè.* Vide Amphitruon. Act. 1. Scen. 1.

Aut

Aut quod Cecropiæ, aut Latiæ luſêre Camœnæ,
Delendum eſſe reor; quicquid modò dixerit ipſo
De Jove liberius, quicquid modò fecerit audax.
Antiquos mores ſi quis præſentibus aptat,
Ex fictis vera exquirens, faciénſque malignus
Interpres tecum, ut narret comœdia priſca
Res hodiè geſtas, divûmque in nomen euntes
Heroas noſtros; quid poſthâc ſcribere tutò
Fas doctis? Quæcunque feros monuêre Britannos
Socraticæ chartæ, quæcunque volumine ſacro
Præcepit Moſes, jam fiant ſcommata. *A. A.* Fiant.
Hic mos, hoc vitium eſt magnis. Dormitat Homerus,
Miles ait ſimilis Therſitæ, qui mihi nomen
Indidit impurum. Ceſſat laudare Maronem

✠ 223. QUÆCUNQUE FEROS &c.] Non modò, quæ ex philoſophorum libris, & ex poetis antiquis, verùm quæ ex codicibus ſacris, etiam quæ ex fictis, aut Æſopeis fabulis deſcribuntur, optimates & reipublicæ principes offenderint. Divinus ille vir, ſuæ gentis gloria, ille *Fenelon* Cameracenſis archiepiſcopus, poſtquàm immortale illud opus, Telemachi hiſtoriam, ediderat, calumniam & malignitatem aulicorum eludere non potuit; neque rex ſuus, Ludovicus XIV, liberam ejus vocem, aut vultum pati.

Rufillus,

Rufillus, vultus ex quo mentemque Sinonis,
Et Bavii ingenium ſibi vindicat. Eſt etiam qui,
Si canis, ut regno detruſus venerit olim
Rex Nebuchadonoſor paſtum huc per prata juvencus,
Se credat, moreſque ſuos, ſenſuſque notari;
Multùm indignatus ſe inſueta ad pabula cogi,
Armentiſque boum immiſcerier. Ocyùs at tu
Iratum fugito: cornu petit ille canentem.
Quæ legit indoctus, raptim legit omnia, falſa
Veris, priſca novis confundens, ſacra profanis.
Si mollis quæſtor ſit, cirratuſve tribunus,
Aut propior regi, & paulò iracundior, idem
Hæc ad ſe trahit; & ſcripti genus odit iniquus.

F. S. Sic quiſquam legit, atque intelligit omnia? Et aula

℣ 232. REX NEBUCHADONOSOR] Vide in codice ſacro iſtius regis vitam & res geſtas, qui ob peccata & vitia ſua fœdiſſima hominis figuram exuere coactus eſt, atque in bovem mutatus. Quot verò ex principibus terrarumque dominis, qui nunc ſunt, hoc bovino vitæ genere & pari ſupplicio ſunt digniſſimi? quàm benè Europæ Aſiæque gentibus & populis eſſet, id quidem ſi tyranni omnes identidem ſubirent?

Turbam indoctorum capit? *A. A.* Et capit, & fovet. Ergo
Haud equidem invideo noſtro ſua carmina Flacco,
Scribere ſi ſatiras inſanus pergit. Et ipſe
Jam caveas, ne cui ſis vero nomine notus;
Præcipuè quibus eſt veſtros permiſſa poteſtas
Vendendi libros: nuſquàm benè creditur illis.

F. S. Ah, nôrunt, qui ſim! Et fruſtrà latuiſſe volebam
Nomine ſub magno, ſolitus mea dicere in aurem
Seria perpaucis, & nocti fidere. Verùm
Quis commiſſa tegit? Vel ſi tegit; undique notus,
Quod fieri vix poſſe putes, cantabitur auctor.
Quæ proferre nefas, nos omnia dicimus omnes.
Imperii, Auguſtæque domûs arcana profanum
Scrutatur vulgus: ſi pellex, pſittacus, uxor,

℣ 243. ET CAPIT ET FOVET] Indocti & plumbei homines, maximè verò ſi ii ſunt ex infimâ plebe, aut ordine ſacerdotali, ſemper morigeri ſunt, & aulæ ingenio accommodatiſſimi. Neque queri, neque iraſci audent; neque, ſi audent, magnum aliquid negotium queunt moliri, quod conſiliis aut commodis principum occurrat, & obſtet.

Si

Si chartæ, ſi dii ſileant, arbuſta ſonabunt.
Læta licet nunquam penetravi limina regum
Ruſticus, ipſe tamen potui cognoſcere mores
Rufini; atque mihi ante oculos adſtat Mida, qualem
Cannarum lucus, qualem cecinêre poetæ.

A. A. Ruſticus es quamvis, nunc, cùm ſis notus in aulâ,
Hei tibi quàm metuo! Metuo tutiſſima. Novi
Quippe vir experiens, quàm multa pericula vates
Circumſtent miſeros, injuſſa, ingrata canentes.
Et tibi quid prodeſt duros memorâſſe Catones?
Quid libertatem pulchram bis terque ſonando
Hîc feciſſe deam? Quis adorat numen inane?
Adſpice, felici mutentur ut omnia ſeclo;

℣ 261. CANNARUM LUCUS] *Lucus creber arundinibus.* Vide Fabulam Midæ apud *Ovid. Met. lib.* 2.

℣ 268. HIC FECISSE DEAM] Primus in regione noſtrâ hujus carminis auctor libertatem deam fecit, & templum ei ſtatuit. En, Mopſe, virum, quem tu patriæ inimiciſſimum dixiſti. Quid autem a te ſperem, in cujus pectore ne hilum quidem aut ſanctitatis ineſt, aut candoris; qui præter eos, qui te colunt, deum non colunt, oderis omnes?

Ore animoque uno firmentur ut omnia; ut ipſa
Calliope proſtet pretio, ſatiramque benè uncta
Oderit agreſtem. Et tu deſine plura; meiſque,
Quæ veteri vetus, & fidus dat amicus amico,
Utere conſiliis. Ingentem ſuſpice Menam,
Aureo qui fultus ſolio Jovis: illius eſto.
Nam fatìs ipſe diu cuſtos es pauperis aulæ.
Jamque tuum ſibi Thrax optat conſcribere nomen,
Atque augere ſuam Romano umbone phalangem.

℣ 274. MENAM] Menas libertus fuit Pompeii magni (atque *Magni* nomen ex rebus actis & auctis ipſe adeptus eſt) quo mortuo filii Sexti amplexus eſt partes. Ditatus a Sexto, eum prodit, & transfugit ad Auguſtum Cæſarem. Mox ad Sextum rediit, prodito Auguſto. Poſteà Sextum rurſus prodens, & ad Auguſtum reverſus jus impetravit, ut annulum aureum (pretium ſceleris) geſtaret. Et id ſpeciale habuit; quippe legibus cautum erat, ut nemo annulum aureum geſtaret præter ſenatores & equites. Tanto honore inſignem, & grandi pecuniâ ſuperbum, carmine proſcindebat Horatius, etiam tunc, cùm Menas familiariter Cæſare utebatur. Vid. *Horat. Od.* 4. *l. Epod.*

℣ 278. THRAX] Sive Tax, ſive Pax, ſive Paxton, Menæ libertus ab antiquâ ſtirpe Capriorum ortus, & Caprio *Miltoniano* ita ſimilis, ut nec lac lacti, nec aqua aquæ ſimilior. Præeſt enim hic noſter Thrax diurnis, hebdomadalibus, & anniverſariis poetis, rhetoribus, oratoribus & ſophiſtis, qui ad nutum & arbitrium Menæ ſcribunt, perorant, verſificant, hallucinantur, convitiantur, criminantur. Mirum, ni faciant: in ejus enim manu eſt, ut edant, ut pereant. Vid. *Not.* ad ℣ 134. in *Epiſt. Milton.*

Ille

Ille monet, quo jure Larès (tu diſce monendus)
Aſpernere pius tenues; &, qui malè ſani
Fabricios ſimulant, obliviſcare tuorum:
Quid ſis, quo valeas pacto, accedaſque beatis:
Quâ ratione queas firmus defendere Menam;
Seu ſtudia & mores domini laudare juberis,
Seu regi infenſos impunè laceſſere Brutos;
Seu nunc magna loqui; ſeu nunc quaſi vera referre,
Quæcunque argutè fingas, ſcelerique doliſque
(Si ſcelus atque dolos mens incorrupta coacta eſt
Moliri, & patriæ causâ peccare tuendæ)
Aut nubem objicere, aut populi lenire dolorem.
At poſtquàm tibi fas magnis præludere rebus,
Gratiaque omnis ineſt ſermonibus, & ſatìs ipſi
Te tibi conſulere eſt æquum, monitoris egentem
Nullius; poſtquàm es certus conviva, comeſque

℣ 294. POSTQUAM ES CERTUS CONVIVA, &c.] Vix mehercules eſt credibile, quot homines & quos convivandi & perpotandi dulcedo captet, & vincat. Hoc ſibi notavit, & omnes luxuriæ artes

Auriferi

Auriferi Menæ; quid non ſperare licebit?
Divitiis auctus nummos in fœnore ponas:
Hortos, prædia emas: etiam cœleſtia tentes
Æmulus Ambroſii, tituliſque ornatus & oſtro
Incedas, divis vel par vel proximus ipſis.
Attonitus nec in hoc ſtupeas, dubiteſve modeſtus,
Tale quòd oblatum fuerit tibi munus inepto.
Quid mirum; ſi ultrà cupiens fortuna jocari,

ſcitè perdidicit Menas noſter, quas ſuis rebus commodiſſimas judicavit & reperit. Menſam quotidianam, quam omni opulentiâ & accuratiſſimis lautitiis exornari jubet, etiam humanitate ponere videtur ipſe quidem haud injucundus aut inficetus hoſpes.


℣ 298. AMBROSIUS] Epiſcopus ****enſis, nomine (poetico ſcilicet) referens Mediolanenſem illum epiſcopum, qui floruit temporibus Theodoſii, & Honorii, & unus fuit ex patribus Latinis cardinalibus. Nihil verò tam diſſimile, quàm Ambroſius noſter ****enſis, & ille alter Mediolanenſis epiſcopus.

Minimè equidem miror, quamobrem plebeii, pauperes, ſordidi homines & obſcuri Menæ iſtius cauſæ, ſuis quippe commodis, quàm diligenter ſerviant. Quum verò principes viros intueor, qui huic homini uſque adeò aſſentantur, uſque adeò a ſuperbiſſimis familiis, aut virtute majorum degenerant, ut faciant, ut ferant, quæ ingenui homines & facere nolunt, & ferre non poſſunt; quum intueor infulatos iſtos, vel ipsâ canitie venerabiles, qui uſque adeò a veterum inſtitutis & diſciplinâ, uſque adeò a ſeipſis deſciverunt, ut hunc hominem, hunc Menam juxtà ac deum immortalem venerentur, nonne (obſecro) de reipublicæ causâ deſperandum oportet?

Quæ

Quæ modò plebeio faſces, magnumque tribunal
Infido ſcurræ permiſit iniqua regendum;
Quæ fabro donavit opes & rhetoris artem,
Piſtori pallam, Cyclopi præmia ſcribæ,
Et mimo lauros, tibi dicat, Epiſcopus eſto?

304. INFIDO SCURRÆ] Qui eodem temporis momento municipes, ſocios, amicos, patronum, & patriam prodidit.



SCAMNUM,

ECLOGA.

SCRIPTA EST ET EDITA ANNO MDCCXL.

ÆNEARUM TABULARUM

Explicatio.

I. TABULA *eſt chorographica. In amæniſſimo agro conſpicitur vir academicus ſuper ſcamnum ſedens juxta Iſidem fluvium. Eò properant duo paſtores, qui cantores erant futuri.*

II. TABULA, *ſeu litera initialis juvenis exhibet effigiem, cui duæ puellæ ruſticæ, ſive nymphæ Florales, ſua dona ferunt, calathos nimirùm floribus plenos :* Ecce ferunt violas, &c. ✻ 106. *Neque equidem is indignus fuit, cui vel ipſa Flora ſerviret.*

III. TABULA *eſt bipartita. Ad ſiniſtram exhibetur purpuratorum concilium, lautiſſimum ſcilicet convivium, ubi nimia omnia. Tum enim principes viri optimè conſulunt reipublicæ, quum accuratè ac opiparè edant, & bibant. Ad dextram videmus cænam paſtoralem, poma ſcilicet & liba adorea. In tugurii limine ſtant Jupiter & Mercurius, ſe paſtoribus comites & convivas addituri. Iſtiuſmodi enim homines, & cæna talis diis eſt acceptiſſima.*



Gul.s Green Jun. Delin.

P. Fourdrinier Sculp.

SCAMNUM, ECLOGA.

LACON, TITYRUS.



UM fagus (namque æſtus erat) me protegit umbrâ,
Iſidis ad ripas ſcamno jam fortè ſedebam:
Scamno, frugiferi dominus quod fecerat agri
Ruricolis ſacrum, Musíſque dicaverat Alcon.

✗ 2 ISIDIS] Iſis fluvius eſt, quo alluitur Oxonium.

Læve, ut marmor, erat, latúmque: altare putares.
Neve ſit indignum cœleſti nomine ſcamnum,
Duræ, parva licet, pars eſt ſolidiſſima quercûs,
Quæ Dodonæo fuerat de ſemine nata,
Et Dryadum ſedes, & divûm maxima cura,
Et ſilvæ decus omne ſuæ, dum ſilva manebat.
At non ſumma tamen debetur gloria ſcamno,
Vel quia fatidicis certè eſt majoribus ortum,
Vel quia magnanimum de corpore robur eodem,
Germanæque trabes nunc currunt æquora velis;
Hiſpanos terrent, & mittunt fulmina ponto.
Sunt illi propriæ vires, factíſque, fuíſque
Spectatur meritis: meritis ſua præmia ſunto.
Nam facit, ut meliùs rus contemplemur amœnum,

✝ 8. QUÆ DODONÆO &c.] Prope urbem Dodonam in Epiro templum erat Jovi ſacrum, & circumjecta templo ſilva celeberrima. Quippe non modò ipſe Dodonæus Jupiter, ſed arbores etiam, quercus duntaxat, vocales erant, & oracula edebant.

✝ 15. HISPANOS] Scripta eſt hæc ecloga, quo tempore bellum navale, & maritimum inter Anglos & Hiſpanos obortum erat, anno 1740.

Gratior & quî fit, dum præterlabitur, amnis.
Otia dat pigris; præbet ſolatia feſſis,
Et ſenibus ſomnum, & menſam meſſoribus aptam;
Atque ſuburbanis, ſi fama eſt nuntia veri,
Præbet dura nimis, ſed grata cubilia Nymphis.
At quæ tanta fuit mihi ſcamnum cauſa colendi?
(Nam colui) En, doctæ quòd nunc præſagia mentis
Spirat, (& hoc patrium eſt) reſerátque oracula divûm:
Nunc vati dictat, Parnaſſidis æmula rupis,
Carmina, quæ poſſunt vix ipſæ carpere Muſæ:
Sed livor poterit: ſed carpit & omnia livor.
Huc veniunt pueri, & teneræ per prata puellæ:
Huc Satyri veniunt, Fauníque. Hîc Naiadas inter
Nunc Galatea ſuos, nunc Ægle narrat amores.
Monticolûm hîc quis Silvani de plebe viator,
Tempeſtas cùm tardet iter, vel fervidus æſtus,
Pendentes ripas horreſcit, equíſque ligatis

* 26. ET HOC PATRIUM EST] Quia è Dodonæo ſemine natum fuerat.

Miratur tacitus magnos procedere lintres.
Hîc ego dum ſedeo, volucrum dulcedine captus,
Floribus aut paſcens oculos, fluvialia regna,
Et genus arboreum meditans, annîque meatus,
Cœlúmque, & ſolis radios; quodcunque, quod uſquam eſt,
Ab Jove principium confeſſus: Tityrus ecce,
Et ſenior Lacon, dum ſervat Theſtylis agnos,
Cantatum veniunt: apta eſt cantantibus umbra.
Dulce ſonant numeri; & quanqum ô, quæ maxima dona
Pierides dederant Siculis paſtoribus olim,
Arguti calami deſunt & fiſtula noſtris:
Non deeſt ingenium, non vis, nec gratia verbis.
Eſt aliquid voluiſſe imitari carmina divûm,
Quin age, Calliope, ſi unquam coluêre Britanni
Numina veſtra, adſis; & quercu cincta capillos
Paſtorum alternos (nec te meminiſſe pigebit;
Et potes hæc meminiſſe) mihi refer ordine verſus.

* 50. ET QUERCU CINCTA CAPILLOS] Quia quercus arbor eſt Britanniæ noſtræ, & diis patriis ſacra; ex quâ etiam ſcamnum mèum factum eſt.

LACON.

LACON.

Libertas, ô ſi qua dea es, nunc annue vati:
En, tibi ſurgit opus, ſi quid mea carmina poſſunt.
Munera pauperibus tu das, mentémque beatis;
Tu das paſcere oves; tu das cantare ſub umbrâ.

TITYRUS.

O dea Libertas certè! tibi ponimus aras:
Hâc vitulâ, mox & niveo donabere tauro,
Nil mirum, ſi, regis opus, ſtas fictilis: at ſi
Legibus emendes res noſtras, aurea fies.

LACON.

Hei mihi, quòd pavidæ fugiunt ſua tecta columbæ!
Obſcœnas accepit aves nam candida turris.
Si venias, mea Clara; tuo jam numine tutæ,
(Sic Venerem ore refers) volucres ad tecta redibunt.

TITYRUS.

O formoſa veni; nec ruſtica munera ſperne:
Hîc ceraſi dulces, & mollia fraga leguntur:

Si mea rura colas, habitabunt dii mea rura;
Ipſe, nec invitus, ſit rursùs paſtor Apollo.

LACON.

Quanta tuli, conjux ex quo mihi barbara Trauli
Aſſidet, & ſtultus peregrinâ verſor in urbe!
Nec ſpoliare ſat eſt: virus ſpargítque, furítque,
Conſulit & manes de noſtro ſanguine ſaga.

TITYRUS.

Saga petit juvenes, petit innuptáſque puellas;
Vel taurum peteret, Veneris quoque mille figuras,
Mille modos meditans: ætas in crimina vires,
Dátque animos: creſcunt anni, creſcítque libido.

LACON.

Narratur verax Epheſinæ fabula matris:

℣ 69. CONJUX EX QUO MIHI BARBARA TRAULI &c.] Ut tibi, lector, innotēſcat ſceleribus ſuis, quæ ſit iſta Trauli uxor, conſule Satyricon F. Schefferi Latinè & Anglicè ſcriptum.

℣ 77. NARRATUR VERAX EPHESINÆ &c.] Haud quidem de unâ feminâ, aut alterâ hoc dici oportet. Plurimæ ſunt in regione noſtrâ, vetulæ etiam rugoſæ, quæ Petronianæ iſtius matronæ mores referunt; quæ & culpam in amorem referunt.

Dum

Dum luget Carum, nupſit Cornelia Codro;

Dum luget Codrum, nupſit Cornelia Gallo.

Ære graves quem non vetulæ captetis amantes?

TITYRUS.

Ah, quibus eximium decus eſt, ne credite formæ!

Nectit lena dolos, dum livor ſævit in omnes.

Infelix Pholoë, quis te perduxit in aulam?

Naiades, ô fugite hinc; nam Delia toxica miſcet.

LACON.

Degeneres animi, vates divûmque miniſtri,

Qualiacunque volunt reges, oracula vendunt.

Noſtra, eheu, quid vota valent; mercabilis auro

℣ 83. INFELIX PHOLOE, &c.] Fuit hæc puella formoſiſſima è Scotorum gente; quam veneno tollere, aut ſaltem ei formam eripere Delia iſta conata eſt, ſemel iterúmque puellæ inſidias molita. Notior hæc eſt fabula aulicis viris, populo verò obſcurior.

℣ 85. DEGENERES ANIMI, &c.] De iſtiuſmodi hominibus, infulatis ſcilicet, vide *not. ad* ℣ 298. *in Serm. Pedeſtr.*

℣ 87. MERCABILIS AURO &c.] Nihil magìs dolendum eſt, quàm ſi ii, qui ingenii laude aliquâ floreant, utilitati, non honeſtati conſulant. Nihil verò turpius, aut ſceleratius excogitari poteſt, quàm ſi ii, qui in liberaliſſimis ſtudiis verſentur, mercedulis adducti, ingenii ſui vires ad potentium voluntatem, atque ad evertendam rempublicam accommodent.

Ingenii

Ingenii ſi vis, ſi magna potentia cœli?

TITYRUS.

His neque amor nummi cauſa eſt: tamen omnia cedunt,
Et jactant fruſtrà virtutis nomen inertes.
Scilicet expectant, dum defluat Iſis; & ô ſi
Defluat, innumeros piſces ſine fune trahamus!

LACON.

En, Mopſus Veneres inter, luſúſque, jocóſque
Stat triſti vultu, & vatum malè carmina vertit.
Quî meritas poſſim ſuperis exolvere grates,
Sim modò tam doctus, quàm tu tibi, Mopſe, videris?

℣ 89. HIS NEQUE AMOR NUMMI &c.] Hoc propter eos ſcriptum eſt, qui, dum flent ſervitutem, aut grave queruntur onus, nihil tamen magnum moliuntur (aut ineptè aliquid) quo patriæ & rebus ſuis ſubveniri poſſit.

℣ 93. MOPSUS] Vir triſtis, immitis, incultus, litium plenus. Qui nullis ortus majoribus antiquum, & Normannum genus ſemper crepat. Qui poſtquam lævíora quædam opuſcula ex ſuburbanis ſuis hortis emiſit, & ingenio alieno cœpit florere, ſibi mirè placet. Qui poetæ nomen ſibi ſumpſit, Muſis invitis; juriſconſulti, juris imperitus; philoſophi, virtutis expers; patrisfamiliâs, ſuis odioſus; hominis liberi, libertati infenſus; hominis Chriſtianiſſimi, Chriſto inimiciſſimus. Qui & olim mihi maximam injuriam fecit; & nunc, contumeliis nullis à me laceſſitus, impudentiſſimis mendaciis ſub ficto nomine famam meam ſtudet lacerare.

TITYRUS.

TITYRUS.

Nec Mopſus Fauno, nec Floræ fœda Celæno,
Nec ſeſe dubitat mimus præferre Maroni.
Quid ſi opus eſt armis? Fies, Germanice, Mavors;
Mavors in caſtris, atrox Neptunus in undis.

LACON.

Huc ades, O Lenæe. Mei eſt natalis Iuli.
Vos lauro juvenem victrici ornate, Quirites.
Si tamen has ſilvas, hæc ſi ſua rura reviſet,
Bina tibi, Fortuna redux, altaria fument.

TITYRUS.

Ecce ferunt violas, & candida lilia nymphæ,
Et, mea dona, roſas inſcriptas nomen Iuli.
Jam tandem ô noſtris puerum dii reddite votis!
Aurea templa Jovi ſtatuemus, & aurea Phœbo.

LACON.

Muſarum ſedes, Cami quas alluit unda,

En petiit, Geniúmque loci diváſque fugavit,
Barbara gens. Ah! quo te mutas numine, Granta?
Nec tamen ille tuus fruſtrà regnavit Apollo.

TITYRUS.

Nec tamen ille tuus ſolito deus ore redibit,
Carmina temporibus niſi convenientia noſtris,
Alma, canas, fugiáſque mali contagia lucri;
Et pudeat veſtros aulæ ſervire Penates.

LACON.

Alter habet, quâ, culte, cales, Mnaſyle, puellam:
Centauro tua Pyrrha datur. Serpentibus agni
Jam coëant: turpi jam ſit conjuncta Priapo
Phœbi caſta ſoror; vel ſperet ſimius Heben.

TITYRUS.

Fert alter, meruit quos noſter Daphnis, honores.
Sic ubi facundæ volucres ſua cantica vendunt
Ad Thameſis ripas, gravis en, (ſed riſit Apollo;

Sed

Sed voluit Rhedycina) vices gerit anſer olorum.

LACON.

Vendidit & natos Coſmus, patriámque; feneſtræ
Ut meliùs pateant ventis, & ſolibus aptæ.
Jugera quin centum Cereri, jámque altera centum
Abſtulit; & vanos ſilvas mutavit in hortos.

TITYRUS.

En, antri auratos poſtes, ſtantémque lacunâ
Ornatam claſſem, & magnos ſine flumine pontes;
Marmoreáſque caſas, ridendáque ſigna deorum,
Et varias multâ conſtructas arte ruinas!

LACON.

Omnia verſa vides. Me candida ceperat Acme,
Et Phyllis mihi grata fuit, gratiſſima Cydno.
Nunc me Flora tenet: dum me mea Flora tenebit,
Nec Pallas vincet Floram, nec mater amorum.

℣ 125. VENDIDIT, &c.] In nullâ re optimates noſtri ſibi & ſuis damnoſiores ſunt, quàm in ædificando, & in hortis parandis inſtruendíſque: quos tamen ſæpiùs inſtruunt ridiculè magìs, quàm ornatè & magnificè.

TITYRUS.

Omnia verſa retro. Populos, quos fulmine Cæſar
Terruit Eoos, pacem prece poſcit iniquam.
Qui coluit pacem, Venulus conclamat, Ad arma:
Libratáſque ſuo gentes examine quærit.

LACON.

Et pacis nimiùm, & belli es ſtudioſus, Atrida.
Hector ubi non eſt, nec, quæ ruat, altera Troja,
Quid tanta eſt inſtructa acies? quò mille carinæ?
Scilicet ut faciles iterum plectantur Achivi.

TITYRUS.

Nullus adeſt hoſtis: Martis tamen omnia plena.

℣ 138. QUOS FULMINE CÆSAR, &c.] Carolus VI. quem imperator Turcarum compulit ad deposcendam pacem.

℣ 140. VENULUS] Cultus & volubilis orator, & fabulator facetiſſimus, Mercurio favente natus: qui duas aureas lances exquiſitâ arte, & Vulcani manu fabricatas in ſinu geſtat, quibus regum & regnorum fata, ut Jupiter olim iſte Homericus, imponit: unde omnia quæ homines agunt, ſcire potuit; omnia, quæ ſibi voluit, ipſe dexter egit. Verùm, neſcio quo fato, elegantem hunc & callidiſſimum virum ars ſua tandem deſtituit. Quippe legatus de magnis rebus ad Batavos miſſus perplexum & ingratum tulit reſponſum, lances ſuas ſub craſſo æthere nequicquam exhibens, conclamans, objiciens.

Nullus

Nullus adeſt (at quid meliùs ſperavimus?) hoſtis.
Sic ſibi nunc compti promittat militis ardor,
Atque ducis plumatus apex, ſine clade triumphos.

LACON.

Carole, quæ nuper, Phœbo modulante canebas,
Carmina mitte mihi. Sic dent læta omnia Muſæ,
Ne tibi quid deſit: ſi quid tibi defuit, ex quo
Dii ſortem optatam, pulchrámque dedêre Sabinam.

TITYRUS.

Carole, noſter amor, gentis quoque gloria noſtræ,
Magni cura Jovis; qui fecit pectus honeſtum,
Pectus amicitiæ tibi, Carole: quo neque poſſit
Quid melius, nec quid majus generatur in orbe.

LACON.

I, pete cannabias ſilvas, laqueúmque Cyclopi
Necte, Mycon: varios par eſt miſcere colores,
Cæruleáſque notas, aurúmque intexere filis:
Hoc generi debetur honos, titulíſque ſuperbis.

TITYRUS.

TITYRUS.

Hoc ſceleri debetur opus, domus alta Cyclopum
Si noſtris crevit ſpoliis. At ne tua, paſtor,
Hæc ſint firma ſatìs, jam ſtuppea vincula necte:
Necte, Mycon: & dic, Prædoni vincula necto.

LACON.

Atria Luculli fugi conviva vocatus:
O nunquam hæc pateant paſtoribus atria noſtris!
Et lautas habeat ſibi cœnas dira podagra,
Et quas luxuries peregrinas colligit artes.

℣ 161. DOMUS ALTA CYCLOPUM] Qualis ſit iſta Cyclopum domus, probè novimus; Quæ, poſtquam ei ſummam rerum adminiſtrare datur, magnum dedecus impreſſit reipublicæ populi mores corrumpendo, magnum intulit damnum pecuniam publicam ex ærario exhauriendo et dilapidando.

℣ 165. ATRIA LUCULLI] Quàm commemorem LUCULLI noſtri cocos, piſtores, pocillatores, prandia et cœnas tantas et magnificas, viri quidem Romano illi Lucullo glorioſâ oſtentatione haud diſſimilis, moribus, ingenio, et laude bellicâ quàm diſſimillimi? Inſuper etiam Romanus ille epularum ſumptus quotidianos et perpetuos ſuppeditare potuit, noſter verò opiparè epulando amplum et copioſum patrimonium diſſipavit. Nec tamen quemquam verum et ſtabilem amicum anquiſivit.

TITYRUS.

TITYRUS.

At tibi poma dabo, Lacon, & adorea liba:
Sic eſt, ſic divûm fas eſt accumbere menſis.
Nempe Jovi libuit ſi quando viſere terras,
Jupiter ipſe caſas, plebeiáque prandia quærit.

LACON.

Urbis habet Lycidas mores, habet urbis Iolas:
Balnea nota nimis, ſunt illis nota theatra.
Cauſidicos, medicos vidêre, magóſque, coquóſque;
Et vetulos Veneri, pueróſque aſſueſcere Baccho.

TITYRUS.

Viderunt procerum cœtus, & templa deorum:
Viderunt regum turres, & ſiquid in urbe
Regibus Auguſtâ eſt majus: vidêre leones;
Sævius atque illis ſiquid: vidêre Typhoëa.

LACON.

Ah, procul uſque Indum fugiat cum fratre Typhoëus!
Numina ubi immites ſibi donant magna tyranni;

Et

Et ſegetes creſcunt apris, & tigribus hœdi,
Improbus atque lupis ſua tradit ovilia paſtor.

TITYRUS.

O procul hinc fugiat! Sed ſi ſint irrita vota,
Peccandóque deos patriæ faciamus iniquos;
Vos tamen agricolæ, Cererem exorate, Palénque,
(Peccâſtis quid enim?) cura eſt quibus arva tuendi.

LACON.

Alma Ceres, diva alma, adſis: bene floreat annus:
Mala premant ramos: tibi, Tityre, meſſis opima,
Largáque proveniat; nec deſit copia mellis;
Nec pecori, aut pecoris noceat mala lingua magiſtro.

TITYRUS.

At tibi ſit facilis victus, mollíſque ſenecta;
Otia, mundities, & ſacra volumina vatum.
Sis tibimet, Lacon, bene notus: ſic neque vitæ
Acta tuæ recolens, ſic nec de morte, timebis.

LACON.

LACON.

Hæc luſi: neque adhuc paſtoria cernere ſacra
Aut datur, aut patriis diis fas eſt digna referre.
Si tamen ipſe meum potui ſervare tenorem,
Pierides, cauſſam vatis defendite veſtri.

TITYRUS.

Nos quoque, conati Latias revocare Camœnas,
Hîc fagos inter parvum pro tempore carmen
Fecimus: at quanta ô, & quæ, Saturnia mundo
Secula ſi redeant, & juſſerit Ipſe, canemus!



TEMPLUM LIBERTATIS.

LIBER PRIMUS

SCRIPTUS EST ET EDITUS ANNO MDCCXLII.

ÆNEARUM TABULARUM

Explicatio.

I. TABULA *exhibet figuram Neptuni in manu Britanniæ insulæ chartam gerentis: quæ insula & ei sacra est, & cui imperium maris ipse dedit.*

II. TABULA *in hâc, literâ scilicet initiali, pastorem Britannum videtis tibiâ, quæ vellet, ludentem in summo otio, & procul hoste.*

III. TABULA *in hâc urbis Londini formam quadantenùs pictor delineavit. Urbis laudes celebrantur ad* ✱ 109. *& sequent.*

IV. TABULA *theatri Sheldoniani apud Oxonienses formam exprimit, & effigiem Apollinis in theatrum intrantis; quem subsequitur chorus omnis Musarum. Astant academici, qui Apollinem, & Musas summâ observantiâ colunt.*

V. TABULA, *seu litera initialis alvearium exhibet. Nobilitantur apes Britannicæ* ✱ 63. *& sequent.*

VI. TABULA *in hâc ultimâ effinxit pictor cùm oras insulæ, ac litorum amœnitates, tum navale prælium, & naufragam classem, quâ Angliam aggredi Hispani destinaverant anno* 1588. *Trahitur in picturam textilem hujus prælii historia à* ✱ 306. *usque ad* ✱ 354.



ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI.



URE vatum, invocatâ deâ Libertate, cujus res & consilia dicturus est, poeta invocat in auxilium clarissimos Libertatis socios. Sequitur Britanniæ insulæ descriptio. Ejus laudatur forma, salubritas, fertilitas, opulentia. Laudatur insula ob ingenuas, quæ ibi excoluntur, artes. Apostrophe ad academiam Oxoniensem. Laus Londini, amplissimæ urbis, ac florentissimæ. Jupiter, convocato deorum concilio, liberum esse jubet Britanniæ populum; eique de cælicolis suis mittit Libertatem, traditis officii præceptis. Descendit in insulam diva Libertas. Læto clamore ab omnibus Britanniæ populis excipitur, & salutatur. Dii loci, Ceres, Vertumnus, Pan, & Tamesis sua ferunt munera; & quisque suo more compellat Libertatem, blandè omnes & honore multo. Britanniæ populi divam magnificâ æde donant. Ædis de-

ARGUMENTUM.

ſcriptio, & textilis pictura. Tum feſta Libertati incolæ ſtatuunt, fortiſſima decernunt præſidia, & diſponunt. Libertas ſuos ſibi aſciſcit ſocios, præſtantiſſimos reipublicæ viros, comites & miniſtros conſiliorum. Ex quorum ſucceſſoribus quatuor, honoris causâ, poeta nominat, & laudibus ac gratiis veneratur. Deinde paululùm à primo carmine digreditur, ut gloriam, utilitatémque ex amicitiâ & Muſarum favore capiendam memoret. Ab omnibus inſulæ partibus ad Libertatis ſacra incolæ veniunt; nec Cambri deſunt, nec Scoti. Jamque, frequentiſſimo templo, unus ex divæ ſociis, dux inclytus, populum pauca monet de factis prioribus, de candido divæ ingenio, & retinendâ Libertatis gratiâ. Denique ſancit Libertas plebis, procerúmque decreta; & muneribus votivis, quibus aræ cumulabantur, illos donari jubet, qui, dum patriam armis & virtute defendunt, ſaucii & laboribus confecti fuerunt.





Gul.s Green Jun.r Delin. P. Fourdrinier Sculp.

TEMPLUM LIBERTATIS.

LIBER PRIMUS.

DIVA potens, cœli proles pulcherrima, cujus
Nomen dulce ſonat, ſemper mihi dulce ſonabit,
Libertas; fas ſit tandem pia pandere ſacra,
Et ſedes reſerare tuas: tua ſplendida facta

℣ 3. LIBERTAS] Dea apud Romanos, ac, dum tempus erat, divinitate

Fas mihi nota loqui, Muſis indicta Latinis.
Auſus opus cùm ſim tantum, tu, diva, canenti
Ingenium uberius, magnas & ſuffice vires,
Atque animos, quibus ipſa cales, viridémque ſenectam.
Et potes hæc; & cuncta potes. Nec te ſine quicquam
Sublime exoritur; *neque ſit vel amabile quicquam,*
Vel ſine te lætum. Quin tu, ſi numine dextro
Nunc adſis, faveáſque; aderit mihi magnus Apollo,

tate venerabilis: cujus ædem in Aventino monte pater Tiberii Gracchi ex multatitiâ pecuniâ fecit, ornavítque æneis columnis, & pulcherrimis ſignis & imaginibus. P. Clodius domum Ciceronis in exilium profecti conſecravit, & ædem Libertati extruxit in gratiam Cæſaris; quaſi divinum Libertatis nomen imminentes dominos, & tyrannidem populo conciliaret. Imperante Auguſto, atrium Libertatis ab Aſinio Pollione reſtitutum, & auctum fuit in uſum doctorum virorum, poetarum, philoſophorum &c. Eò enim omnes, optimarum artium ſtudiis eruditi, convenire ſolebant. Atque, ut olim, ſic & nunc, & ſemper erit Libertatis domus, ea ubicunque ſita eſt, ſedes literis, & literatis aptiſſima. Neque profectò locus eſt Apollini, & Muſis ſuis, aut ceteris diis magnis & veris, ubi nullus eſt Libertati locus.

℣ 16. —— NEQUE FIT VEL AMABILE QUICQUAM VEL SINE TE LÆTUM] Verba ſunt Lucretiana, ubi in venuſtâ ſuâ operis invocatione poeta implorat à Venere auxilium. Aptiùs autem de Libertate hæc dicantur verba, formoſiſſimâ deâ, ſed & caſtiſſimâ. Neque ullum eſt humano generi amicius numen.

(Quo

(Quò venias, veniet) faciles aderúntque Camœnæ.
Et nitor, & numeris accedant pondera noſtris;
Atque aliquem hoc vati præſtet quoque carmen honorem.

Et vos, ô divæ comites, clariſſima gentis
Nomina patriciæ, rerum columénque decúſque,
Qui Libertatis ſanctas defenditis aras,
(Muneris hoc veſtri eſt) divæ defendite vatem;
Si mihi quid dirum minitetur fœda Celæno,
Sive truces regum vultus, & ferrea jura.
Sin teneras aures offendunt verba Latina;
Seu nimius videor; ſive eſt minùs utilis armis,
Seu minùs apta jocis, ſive eſt mea fabula verax;
Dicite, Somnus erat: ni ſit quoque crimen in illo.

℣ 16. DIVÆ COMITES] Viri primarii, & ii, qui verè ſunt, non qui ſe eſſe ſimulant, patriæ parentes. Novum enim eſt apud nos hominum genus, qui, cùm patriæ & libero populo inſidias maximè cogitant, id agunt, ut cives optimi videantur.

Nam

Nam veniâ quandoque carent vel ſomnia vatum.

Eſt locus ante alios felix, placidiſſima ſedes,
Inſula magna, ferax; cujus fundamina rector
Oceani, æternùm ut maneant, ſolidiſſima jecit;

30 Mercedem pactus nullam, pretiúmve laboris.

℣ 26. NAM VENIA &c.] Paucis abhinc annis ridicula quædam de uropygio aureo (The Golden Rump) et planè ineptias ſomniavit feſtivus quidam fabulator; atque, populo ut placeret, ſomnia ſua enarravit: quæ ita malignè interpretati ſunt oratores aulici, ſed indocti, ſed mercenarii, ut fictis nominibus deſignatos eſſe regni præfectos, & ſacerdotum proceres contenderent; ſimplicitatem fabellæ æſtimantes ex animi livore & malevolentiâ ſuâ. Fabellam iſtam, ſive ſomnium iidem interpretes perverſè & impudenter aſcribunt hujus carminis auctori. Sed de hôc ſciant iſti, ut factum ſit. Verùm hercle, ut ut factum eſt, dum implacabiliùs iraſcuntur, dum in innocenti ludo & innoxiis jocis ſatiram quærunt; magnis illis principibus, quos defendere ſtudent, injurias & convicia faciunt fœdiſſima, & patronorum ſuorum facinora, & ſua apertè fatentur.

℣ 30. MERCEDEM PACTUS NULLAM] Neptunus, & Apollo mœnia Trojæ extruxerunt pactâ mercede; quâ rex Laomedon, quamvis jurejurando ſe obſtrinxerat ſoluturum, eos fraudavit tamen.

Ex quo deſtituit deos
Mercede pactâ Laomedon. Horat.

Rectè monet hæc fabula nullam tyrannis adhibendam eſſe fidem; qui quum pactum reſcindere, & promiſſum & jusjurandum, quod diis ipſis dederant, violare audent, quid nos & homines & plebeios de illis ſperare, aut expectare oportet? immò quid non ab illis timere? Vide, quid faciat hians ac ardens avaritia; nempe deos ipſos, ipſis etiam aſtantibus, negligere, temnere, fraudare, pejerare.

Anne

Anne igitur mirum, quum ſit penetrabile miſſum,
Et majus fulmen, polus & concuſſus uterque
Seu nutu, ſeu voce Jovis; (ſeu cauſa malorum
Eſt alia atque alia: haud etenim cognoſcere poſſis,
Unde tremor terris) quum erumpant undique venti,
Ignéſque & fluvii, rigidíque cacumina montis,
Et ſilvæ, & rupes laxis compagibus altæ,
Et loca mille labent, terræ loca mille dehiſcant;
An mirum, ſi tanto hæc inſula numine freta,
Sacra mari ſi immota ſedet; ſpectántque Penates
(Sed longè ſpectant) aliena pericula, luctúſque,
Eversáſque urbes, magnáſque impunè ruinas?
Quin fovet & populos Neptunus, (nec genus uſquam
Acrius eſt hominum) queis & ſua jura, ſuíque
Imperium pelagi latè dedit: omnia velis

℣ 40. IMMOTA SEDET] In inſulis Britannicis infrequens eſt terræ motus, aut nullus.

℣ 45. IMPERIUM PELAGI &c.] Mare, quodcunque claſſes noſtræ adierunt, imperio noſtro olim deſtinavimus, & hodie ſub imperio tenemus. Id proptereà omni bel-

Æquora nam currunt, quæ Sol colluſtrat ab ortu,
Queis cupit occiduus tingi, quibus imperat Arctos,
Sidere quæque tuo, Capricorne, inimica premuntur.
Cernere agros hîc eſt pingues, herbámque frequentem,
Hîc lucos placidóſque amnes, ſilváſque vetuſtas,
Atque ſalutiferos fontes, & paſcua læta;
Singula plena ſuo, & præſenti numine tuta.
Flava Ceres jubet hîc immenſas ſurgere meſſes.
Lanigeras Pan curat oves, armentáque tota
Ipſe deus paſcit. Jactat dotalia regna
Vertumnus; nec ſe dubitat præferre Lyæo;
Ex quo nectareum, ſine Bacchi numine, vinum
Repperit; atque ſuo traxit fulgore poetam,

lo, niſi maritimo, debemus abſiſtere. Jamdudum enim factum eſt, quòd terreſtre bellum adminiſtrare dedidicimus, & in cœlum abierunt heroes noſtri.

℣ 55. DOTALIA REGNA] Vide apud Ovidium in l. Met. 14. fabulam Vertumni, & Pomonæ.

℣ 58. POETAM] Joannem Philips, Academiæ Oxonienſis alumnum, & pudoris ingenui virum; qui numeris Miltonianis elegantiſſimum ſcripſit carmen, quod inſcribitur Cyder, de cultu hortorum, et pomariis ritè ordinandis in agro *Herefordienſi*, hujus poetæ natali

ſolo,

Qui primus patrios celebravit honoribus hortos,
Mala ferens Muſarum aris; quæ, ruſtica quamvis
Dona, tamen blandi dum laudat carminis auctor,
Et pretioſa facit, facit & gratiſſima Phœbo.
Hîc apibus certa eſt, hîc eſt aptiſſima ſedes:
Omnis & hîc arbos, & flos, & ſuaveolentes,
Pabula quæ præbent, herbæ, ſatureia, thymúſque,
Roſmaris, & virides caſiæ: ſi frigore, morbo,
Aut bello pereunt, parvi ſua tecta Quirites
Si ſubitò linquunt; haud irreparabile damnum;
Haud opus Arcadii inventis aut arte magiſtri,
Unde genus revoces: nec enim defecerit unquam
Progenies felix, nec deerit copia mellis.
Quid, quòd non fruges, non hîc pomaria læta,
Non hîc vaſtat aper ſegetes? Errare videbis,

ſolo, cujus loci malis potiſſima datur nobilitas. In hôc carmine laudes vini indigenæ ex malis expreſſi (cider) poeta celebravit.

¥ 69. HAUD OPUS ARCADII, &c.] Vide fabulam Ariſtæi. Georg. l. 4.

Et ſalvos errare, boves: neque numina læva
Dant ſævire lupos, aut hîc potuiſſe renaſci.
Quinetiam ingenuas, quaſcunque aut Græcia magna,
Aut Roma invenit, docuêre fideliter artes
Dii patrii: ſunt hîc aræ, ſunt Palladis arma;
Hîc ſibi diva placet; florere ſub æthere craſſo
O quoties mirata novas, quas ſtruxit, Athenas!
Huc quoque poſthabitis tandem venêre Camœnæ
Fonte ſacro Pindíque jugis: vidi ipſe ſorores
Ad Tameſis ripas, Phœbo comitante, ſedentes;
Móxque tuis ſpatiari hortis, divine poeta.
Sæpe etiam lætas vidi, citharáſque tenentes
Auratas, magnum Rhedycinæ intrare theatrum;

℣ 75. DANT SÆVIRE LUPOS] In Britanniâ noſtrâ incolarum diligentia, & aſſiduus venatus exitiale luporum genus jampridem extinxit.

℣ 80. NOVAS——ATHENAS] Academiam Oxonienſem.

℣ 84. DIVINE POETA] M. Pope; cujus horti jacent ad Tameſim fluvium, cultiſſimi quidem & amœniſſimi: ubi antrum è longinquo aſpicias celeberrimum, belliſſimè quippe ſitum, & gemmis radians, Muſarum fortaſſe & Apollinis opus: quod tamen naturæ opus eſſe videatur.

℣ 86. RHEDYCINÆ——THEATRUM] Theatrum ſcilicet Sheldonianum apud Oxonienſes. Oxonium

Agnovíque deas, & publica vota precéſque,
Atque meis auxi plauſus. Ah, divitis aulæ
Luxum ultro (neque enim locus eſt ſceleratior ullus)
Pierides fugiant, invisáque limina regum!
Et tibi ſemper eant comites, dulciſſima mater,
O decus, O tutela meæ. Rhedycina, juventæ!
O decus, O requiéſque meæ, Rhedycina, ſenectæ!
Ingenii eſt in me ſiquid; ſi noſter Apollo,
Et Latiæ annuerunt mihi mollia carmina Muſæ;
Si patriæ cecini laudes; inimica tyrannis
Si mens non potuit flecti vel Cæſaris auro,
Pallantíſve minis, aut blandâ voce, nefandi;
Si lare contentus tenui, ſi vivere parvo
Et didici, & didiciſſe juvat; cantamina turpis

onium à priſcis Britannis Rhedycheu appellatum eſt; planè eodem ſenſu, quo Saxones Oxen-ford, ſive Oxford dixerunt.

* 98. PALLANTIS] Vide Miltonis epiſtolam, aut epiſtolam eam Miltonis nomine ſcriptam, ad Pollionem; ubi facinora Pallantis recenſentur, & ſatis dilucidè oſtenditur immanis viri natura.

Canidiæ,

Canidiæ, & lites, & quæ nova vulnera ſenſi,
Frangere ſi nequeunt vires, aut rumpere ſomnos;
Cuncta tibi fateor deberi: cuncta fatebor,
Quæ vatem rectè moneas, præcepta deorum.
Ergo te memorem ſemper; perſolvere grates
Si poſſim dignas, famámque augere tuorum.

At non ſumma tamen terræ huic reverentia conſtat,
Quòd colit arva Ceres; quòd & omnis fertilis arbos;
Has ſibi quòd Pallas, quòd & has ſibi legit Apollo,
Has Muſæ ſedes. En, magni nominis urbem,
Templa deûm, procerúmque domos, vicóſque, viáſque,
Balneáque, arcéſque, & portus: ſi Neſtoris annos

¥ 101. CANIDIÆ] Saga erat & incantatrix maleficentiſſima, cujus officia & veneficia apertiſſimè alibi explicantur, & dilatantur.

¥ id. QUÆ NOVA VULNERA SENSI] Nimirùm quæ mihi impoſuit Mopſus iſte, quem notavi in Scamno meo ad ¥ 97. omnium bipedum ſanè nequiſſimus. Qui, quo tempore gravi morbo penè confectus eram, charum mihi pignus eripuit, & iniquiſſimas lites leguleius intendit.

¥ 110. MAGNI NOMINIS URBEM] Londinum. Vide Londini chartam elegantiſſimam, nuperrimè editam.

Vixeris;

Vixeris; haud aditus, aut hîc loca cuncta pererres,
Noveris aut mores varios, artéſque virorum.
Pieriis tentare modis, atque ordine longo
Si numerare velim nunc omnia; non ego tantæ
Sufficiam turbæ rerum, tantóque labori:
Nec mea me valeat, quamvìs Permeſſidos undis
Proluerit totum, per ſingula ducere Muſa.
Hæc eſt, hæc urbs eſt famâ notiſſima, terræ
Hæc patriæ caput eſt, (absítqae ſuperbia dictis)
Hæc caput eſt orbis: neque enim Europæque, Aſiæque
Gens habet ulla parem; magnis nî ex urbibus iſtis
Æmula ſiqua foret, ſibi quas extruxerat olim
Confucî ingenium, & regum pulcherrimus ordo:
Si fortè eſt uſquam regum pulcherrimus ordo.

Inſulæ erat talis facies, cùm Jupiter alto

✱ 125. CONFUCÎ INGENIUM] Vide notas ad ✱75.83.84.89.93. Miltonis epiſtolæ. Conſule autem hiſtoriam P. *Du Halde*, paucis abhinc annis Gallicè ſcriptam, & publicatam, de Chinâ, ſive Sinenſi imperio, & Sinenſium urbium magnitudine, & hominum numero & multitudine.

Deſpiciens

Deſpiciens terras, Nobis placet angulus orbis
Iſte, ait, ante omnes: ſtat genti mittere dona
Digna deo; ſed quæ populi meruêre labores.
LIBER ERIT: plauſu reſonant longa atria cœli,
LIBER ERIT: nutu firmat pia dicta verendo
Rex hominum divûmque; olim quoque cuncta daturus,
Quæ ſtudia atque artes, quas mercatura parare
Divitias & opes poterit, vel bellica virtus.
Et tum cœlicolas, queis terram eſt cura tuendi,
Juſſit adeſſe omnes, Libertatíſque prehendit
Amplexus dextram, placidóque hæc addidit ore:
Candida Libertas, extremas aſpice terras,
Quas pater Oceanus toto diſterminat orbe,
Et ſua quas Tethys circumſonat omnibus undis.

℣ 137. LIBERTATISQUE PREHENDIT &c.] Jupiter appellatur Ελευθέριος i. e. ſervator, ſive tutela Libertatis. Παῖ Ζηνὸς Ελευθερίου. Pindar. Od. Olymp. 12. ubi poeta invocat Fortunam.

℣ 140. TOTO DISTERMINAT ORBE] Britanniam, inſulam Oceani, extra orbem eſſe antiqui dicebant, volebantque. Utinam & nos ipſi etiam! Tum alienas res cum magno noſtro incommodo nunquam fortaſſe curâſſemus.

Ipſa

Ipſa favens; queis nomen priſcum ex rupibus albis
Albion indigetes, vel dii fecere marini.
Has pete. Fert populus jam nunc tibi thuris honorem;
Nunc tibi fundatur ſedes: quòd ſi tua virtus,
Priſtina ſi maneat tibi mens, ea certa manebit.
Sed tamen hos fines nequid tentaveris ultra.
Servitium eſt, quodcunque vides: nil ridet in orbe:
Reges cuncta tenent, (niſi quæ modò jugera pauca
Ipſe dedi Batavis, Rhetis habitatáque rura,
Saxoſos montes) & vivit ubique tyrannis.
Has niſi, non aras, quas tu tuearis, habebis:
Has tueare, velim; ſeu te nunc Gallicus hoſtis,
Et mox Hiſpani conjux violenta Philippi

℣ 143. ALBION] Sive Alvion, quæ et Britannia. Sic dicitur, ut hiſtorici quidam fabulantur, ab Albione Neptuni filio. Alii quaſi Ὄλβιον, ob inſulæ fertilitatem, appellatum eſſe volunt; alii potiùs nomen habere ab albis rupibus, quæ eminus apparent.

℣ 150. IPSE DEDI BATAVIS] At Batavorum civitates haud quidem hodie liberas eſſe dixeris, quæ ſub unius imperium dominationémque modò ceciderunt.

℣ id. RHETIS] **Griſons.** Laborioſiſſima gens eſt, et frugaliſſima, et omnium liberrima.

Vexârit bello, dum natis arva beata,
Regna aliena, ſuis poſcit; mentitus amicum
Seu te aliquis præſéſque loci, princépſque ſenatûs
Immanis, ſed prædæ aurique cupidine fervens,
Fraude dolíſque petet; ſeu conjurata movebit
Arma in te, foedans civili ſanguine terram,
Uſque infenſa mihi proles veſana Gigantum.

℣ 155. DUM NATIS &c.] Carolo ſcilicet, et Philippo. Quorum alter regnum Neapolitanum, et inſulam Siciliæ obtinuit; alterius ditioni, cujus ob cauſam Italia tota bello crudeli diu flagravit, tandem pace confectâ anno 1748, permiſſus eſt Parmenſis ducatus, Placentia, et Vaſtalla.

℣ 157. SEU TE ALIQUIS PRÆSESQUE LOCI &c.] Qualis erat Sejanus, Rufinus, Eutropius, et quos ipſi novimus, ille Romanorum Coſcia, et ille noſter. Ex omnibus verò vetuſtatis monumentis et annalibus ſatìs conſtat graviorem eſſe tyrannidem ſub regni præfectis, quàm ſub impiis regibus. Prætereà autem præfectorum omnium et proregum, aut quicunque ſunt regum vicarii, aut ubicunque ſunt, idem hercle in cives ſuos ſtudium et animus eſſe videtur. Eſt autem dominationis genus vel hôc quidem gravius, quod Græci ὀλιγαρχίαν vocant: talis erat apud Romanos decemviralis, et triumviralis poteſtas.

℣ 161. PROLES VESANA GIGANTUM] Terræ nimirùm filii, et perditiſſima ea fæx civitatum; quæ modò præ audaci contemptu deorum, modò exitiali ſuperſtitione aut fanatico furore extimulata, olim funditus evertere potuit divûm templa, imperii leges, et populi libertatem.

At

At ne cede deo; ſiquis deus (oráque Martis
Et geſtus ſpectat) tibi, virgo candida, ſiquis
(Haud ſuperûm credo) promiſſas invidet aras,
Ingeniíque tui raras corrumpere dotes
Inſidiis quæret, vel te vi pellere templo.

Sic fatus. Magnis placuit ſententia divis.
Jámque Jovis, dicto citiùs, pia juſſa capeſſit
Libertas: fertur manifeſto numine, ſolíſque
Incumbens radiis terrarum allabitur oris,
Quas pater omnipotens ſedes dabat. Albion omnes
Dii ſervare quibus ſtudium eſt, quibus inſula chara,
Patréſque, proceréſque, & non ignobile vulgus,
Obvia turba, deam ſpectant, mirantur, adorant.

* 168. JAMQUE JOVIS &c.] Quo mundi anno, Jovis juſſu, in Britanniam diva Libertas deſcenderit, diu multúmque diſputatur. Quo anno eam ipſe deduxerim, ex carmine meo ſatis liquet. Sed tamen ſæpe majoribus noſtris olim vocata adfuit, et domi militiæque res Britannicas conſilio, et prudentiâ adjuvit.

Alma Ceres numen cognatum prima ſalutat,
Spicea ſerta ferens, fruges, & adorea liba,
Et quæcunque ſuo fundit bona Copia cornu.
En, inquit, noſtri ſunt hæc tibi pignus amoris,
O dea, grata tuis, ſemper gratiſſima terræ!
Pectoris humani (tu ſcis tamen hoc oriundum
Semine cœleſti) tantum tibi lætor ineſſe:
Atque ô ſemper ames vultus cœtúſque viriles,
Et tibi non unquam ſit terræ cura pudori!
Si licuit nobis artem docuiſſe colonos,
Quâ veniant ſegetes, quâ ſit fœcundior annus;
Nil tamen aut artes noſtræ, aut benefacta juvabunt,
Ni læta interſis populo, moneáſque tetrarchas;

℣ 177. FUNDIT BONA COPIA CORNU] Conſule Ovidium et Diodorum Siculum de Copiæ, ſive Amaltheæ cornu, quo ſignificatur omnium rerum abundantia. Ipſe memini, quum admodùm adoleſcens eſſem, me vidiſſe cornu Copiæ in Britanniâ noſtrâ. In quo autem loco id nunc reponatur, haud ſatis ſcio. Sanè hercle magni aliquid ſuſpicor mali: quando ii, qui cornu huic conſervando præſunt, ſunt homines corruptiſſimi, et hoc deorum munus res eſt pretioſiſſima, et omnia heic jamdiu ſunt venalia.

Et

Et faxis, ſit cuique ſuum, ſua præmia cuique.
Parva loquor: majora potes. Te teſte, nec agros
Bellua vaſtabit cultos, nec victor habebit
Infandus miles, veteri fugiente colono.
Virgo nulla dolos metuet raptoris avari;
Nec mater natam, aut nutrix plorabit alumnam.
Hei mihi! Perſephonæ ſi tu comes una fuiſſes,
Cùm Siculos legeret flores; conjuncta marito
Non tali nunc illa foret, non præda tyranni.
Tum Vertumnus adeſt, quo nec formoſior alter,

℣ 190. NEC VICTOR HABEBIT &c.] Quæ ſint bellicæ virtutes, haud ſanè intelligo, niſi ſi ſint amor patriæ, et ea vis et ardor animi, quæ nos incitant impellúntque ad tuendam rempublicam et conſervandam libertatem. Siquando externos hoſtes, aut apertum periculum, quod in cives omnes intenditur, propulſamus; ea res, cùm ſit maximus fructus, tum vera et perfecta eſt victoriæ gloria. Cæterùm iſtiuſmodi victores, (pace veſtrâ dixerim, terrarum domini) qui nihil aliud niſi cædes, incendia, vaſtationes et expilationes cogitant, ſemper mihi viſi ſunt magni prædones, omnium etiam ſceleratiſſimi; quandoquidem alienas poſſeſſiones appetunt rapiúntque, quibus neque egent, et nequeunt uti.

℣ 194. HEI MIHI PERSEPHONAE &c.] Vide Ovid. Met. L. 5. Faſt. L. 4. et Claudiani carmen de raptu Proſerpinæ.

℣ 197. TUM VERTUMNUS ADEST.] Vide in Ovid. Met. L. 14. fabulam Vertumni et Pomonæ, quam eleganter ac jucundè narrat ſuo more cultus poeta.

Comior

Comior ínque omnes. Dat plenis poma caniſtris;
Dat, modò quæ pulchræ molliſſima vina parârat
Pomonæ potanda; & adhuc in conjuge felîx:
Felix illa viro. Quin divam voce benignâ
Compellat, votúmque pium deus inſuper addit.
Cernis, magna hoſpes, lætentur ut omnia, numen
Teſtificata tuum. Jam creſcent ruris honores;
Urbis opes creſcent: ſumma eſt reverentia patrum,
Majeſtas populíque ſalus eſt firma futura.
Florebunt leges: ſub te florebimus omnes.
Dîque deæque loci: virgo quoque forſitan ipſa,
(Spero equidem) te nunc redeunte, Aſtræa redibit.
At vos, O Erebi peſtes, procul eſte, Faméſque,
Et Furor, & Morbi, noſtrâque abſiſtite terrâ!
Quíque ades hîc nimiúmque diu, lentúſque moraris

℣. 199. MOLLISSIMA VINA] Ex malis ſcilicet *Hereſordienſibus* expreſſa. Cyder. Vide not. ad ℣. 80.

℣. 205. URBIS] Londini.

℣. 212. QUIQUE ADES HIC, &c.] In cæteris Europæ regionibus Euri flatus ſunt incolis ingrati et ma-

Vere novo, afflatu corrumpens cuncta maligno,
Pomonæque meæ, & doctis invise Camœnis,
I, pete Niliacas oras, & rura Sabæi,
Auroræque domos, extremaque littora mundi;
Vires, Eure, tuas ubi solis temperat æstus:
Frugibus at nostris, at vatum parce senectæ!
Hæc dederat pia dicta: probant hominesque deique:
Dumque probant, Zephyri veniunt, atque evocat Auster
Irriguas herbas, & lætum nunciat annum.
Proximus, en, divam juxta Pan corniger astat,
Armenti custos: comitatur turba deorum

maligni; in Britannicis verò insulis pestiferi verno quidem tempore: sed neque ver adventâsse dixeris, dum Euro infestamur.

Solvitur acris hyems grata vice
veris et favonî. Horat.

Atque in Virgil. Georg. l. 3. ubi disceptatur, quo tempore mundus sit conditus, hoc annotandum;

Ver *illud erat*, ver *magnus agebat*
Orbis, et hybernis parcebant, flatibus Euri.

Ipse quidem ver, et autumnum solitus sum eximere ex ephemeride meâ, atque in regione nostrâ annum dividere in duas tantùm partes, æstatem scilicet, et hyemem; ita ut æstas quatuor mensibus, hyems verò octo constet. Quid enim? nonne id hyemale tempus esse ducam, dum accenduntur ignes, dum lucent foci? Quinetiam in mediâ æstate, si sit pluviale frigus, camino luculento utaris, moneo, si vel senex sies, vel corpore infirmo aut delicato.

Capripedum de plebe ſuâ; qui gaudia cantu,
Et, ſibi gratantes, calamo teſtantur agreſti.
Et tum ſinum lactis, & ova, & roſcida mella,
Quæque novo fiunt dulces ex lacte placentas
Pan jubet adferri: pinguis quoque caſeus ingénſque
His accedit, opes & culti gloria ruris;
Quem duo vix Satyri poſſunt cervice ſubire,
Quem vix ſex homines: tanto circundatur orbe
Immanis moles. At tu ſi munera ſpernis
Hæc vulgata quidem; tibi ſunt, en accipe, dixit,
Mittere quæ nequeunt, meâ quondam magna voluptas,
Mænala, nec Libyæ ſaltus, nec Iberia dives,
Nec montes Siculi, quæ nec ferat altera terra,
Uſibus apta tuis. (Atque aurea vellera donat.)
Haud, inquit, fuit illa tamen lana aurea tanti,

℣ 228. PINGUIS QUOQUE CASEUS INGENSQUE] *Ceſtrienſis*, ſive *Somerſettenſis* caſeus (**Cheſhire or Cheddar Cheeſe**) grati admodùm ſaporis, et vix quidem *Parmenſi* cedens.

℣ 237. AUREA VELLERA] Nempe lanam Britannicam.

Quâ

Quâ vecta eſt Helle, quam deportavit Iaſon,
Nunc poſita in cœlis, atque aurea ſidera fulgens.
Hiſce meis etenim donis viréſque animóſque,
Hiſce epulas debent, veſtémque, larémque Britanni,
Armáque, & ingenuas artes, claſſémque ſuperbam,
Et nos, qualiacunque ſumus, ſua numina, Panas.
Tu modò, diva, novas ſedes, monitúſque Tonantis,
Et ſtabilem firmes rem certo fœdere noſtram.
Excipit hunc Tameſis, cui centum flumina parent;
Cui centum parent, fluvialia numina, nymphæ.
Salve, ô Libertas! (iterabant Naiades omnes,
Salve, ô Libertas!) divûm placidiſſima ſalve!
Te, dea, non ullum tempus, non temporis auctor,

℣ 241. HISCE MEIS ETENIM DONIS, &c.] Qui pannus conficitur ex lanâ Britannicâ atque ab opificibus noſtris, pretioſiſſimus ſemper habitus eſt, et veniit apud exteras gentes quamplurimo. Hinc et opes et vires imperii. Hinc mercatores noſtri ſatrapas ipſos ſæpe divitiis ſuperârunt. Verùm hæc magna, copioſa et quæſtuoſiſſima mercatura jam diu languet, brevi forſitan peritura, propter tot tantáque tributa, quæ opificibus imponuntur. In Angliâ enim noſtrâ non modò agri, domus, victus, potus, veſtitus et lux ipſa, ſed quæcunque uſibus humanis ſunt aptiſſima, fiunt vectigalia.

Sidera ſeu numerat, ſeu noſtro conſulit orbi,
Seu generi cœlíſque ſuis, quid pulchrius uſquam,
Quid melius vidit. Tecum ſe comparet uxor
Ipſa Jovis, vel (ſi majori nomine gaudet)
Stelliferi regina poli, dum ſpirat amores,
Blandum cincta, potens alieno numine, ceſton,
Et quærit captare Jovem; me judice victa,
Se dicet victam; & cedet tibi regia conjux.
Tu certè illa dea es, cui conſulis annua jura,
Et, quos nunc fruſtra poſcit ſibi, Fabriciósque
Debuit, & Brutos, & duros Roma Catones.
O quàm te memini pictos monuiſſe Britannos,
Et ſervâſſe diu, cùm urbes invadere noſtras
Auderet Cæſar, ceſſura ſibi omnia ſperans!
Sed vidit tantùm, referens inglorius arma.

✻ 257. CESTON] Cingulum Veneris, quod Junoni Venus tradidit in Iliad. 14. ubi elegans et pulcherrima ceſti ejuſdem eſt deſcriptio.

✻ 266. SED VIDIT TANTUM &c.] *Primus omnium D. Julius, cum exercitu Britanniam ingreſſus, poteſt videri oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe.* Tacitus in vitâ Agricolæ.

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis. Lucan.

O quàm

O quàm te memini Hengiſti juviſſe nepotes!
Juviſti meritò. Noſtro nil æquius uſquam
Saxone: nec proceres, nec plebs tentare quid auſi
Te ſine, nec, ſecum quos portavere, Penates.
Nonne ſuum ceſſit tibi Voden numen amicum?
Nonne tibi hoc regni fuerat quodcunque? dedítque
Regibus & populo, quæ velles, jura feroci?
Cùm nondum has terras victor Normannus habebat,
Nec mihi fas, nymphíſque meis ſervire tyranno;
Omnia qui rapuit, qui primus jurgia, lites
Intulit, atque feris rabidum jus ſævius armis.

℣ 267.] O QUAM TE MEMINI HENGISTI &c.] Hengiſtus et Horſa Saxonum duces, in Angliam à Vortigerno evocati, ibi regnum inſtituerunt: et nuſquam alibi mitiùs regnatum eſt.

℣ 271. VODEN] **Woda**, ſive **Woden**, unus ex Saxonum noſtrorum diis; a quo **Wodens-Day**, ſive **Wednesday**. Idem erat ac Mercurius, benignum numen. Jam verò, ut Saxonum deorum, ſi non numina, nomina tamen colamus, eſt operæ pretium obiter notare. Etenim ſinguli hebdomadis dies, quæ ab illis nomina olim traxerunt, in eorum honorem nunc tenent. Quinetiam celeberrimum ſanctiſſimúmque Paſchatis feſtum, immutato ſuo nomine, nomen ſibi adoptavit a divâ Saxonicâ, quæ **Eoſter** appellata eſt.

℣ 274. VICTOR NORMANNUS] Guilielmus I. rex Angliæ, dux Normannorum.

℣ 277. RABIDUM JUS SÆVIUS ARMIS] Normannorum legibus, quibus in Angliâ et Hiberniâ utimur,

O ſit cura, precor, tales tibi pellere peſtes!

Sit, cùm tempus erit! Neque ſunt hæc verba dolentis:

Nam mihi nunc oblita mala omnia, ſervitiúmque,

mur, reverâ ſunt peſtes reipublicæ: et haud ferè quidquam gravius unquam excogitatum fuit, non dico in liberis civitatibus, ſed in exteris iis gentibus, ubi reges principéſque pro arbitrio ſuo omnia gubernant rapiúntque. De hoc tanto malo ipſe ſatìs expertus ictúſque, licet, querar. Mihi olim hæreditas luculenta, ut videbatur, à propinquo in Hiberniâ venit. Ut venit, litem iniquiſſimam intendunt nobiles quidam et potentes iſtius regionis incolæ. Quæ tum meæ curæ, labores, ærumnæ! quæ itiones crebræ, et odioſæ manſiones in Hiberniâ! quæ pericula maris adeunda! quanta à conductis ſicariis metuenda! porrò autem, quæ adverſariorum meorum convitia, injuriæ, inſidiæ, fraudes! quæ falſimonia ac manifeſta teſtium perjuria! quæ advocatorum prævaricationes et argutiæ! quæ procraſtinationes, prolationes, cognitionum iterationes! Tandem poſt viceſimum annum, quum pars improbiſſimorum horum hominum ad Acheruntica loca abiiſſent, reliqui à lite ceſſerunt, et hæreditas mihi adjudicata fuit et decreta: quam tamen (ô gentis opprobruim!) lis immenſa et oneroſiſſima propè totam contriverat. Etenim, cùm octo millia librarum ex eâ debuiſſem percipere, jam expenſi et accepti confectis rationibus, tricentenæ tantummodo mihi ſalvæ erant. Sed hujus ſceleris hiſtoriam et adverſariorum meorum facinora ſermone patrio accuratè explicavi, et verſu quidem, ſi incondito, haud tamen triſti et injucundo ſum perſecutus.

Nunc verò, quod publicum hoc malum non tollitur, neque levatur, ſed ingraveſcit indies, augeturque, reclamante populo et bonis omnibus, advocatorum et cauſidicorum gregi potentiſſimo attribuendum oportet; qui quidem non modò in foro ſuo, ſed in aulâ, ſed in ſenatu ſummâ ſunt authoritate. Quum enim ex artificio ſuo fructus capiant uberes ac diurnos, perveniunt tandem ad maximas divitias, ſæpe etiam ad omnes honores reipublicæ; ſint quamvìs novi homines & de republicâ peſſimè meriti.

Et

Et labor, & populi clades, & nomina regum.
Te veniente, iterum fauſtos ſperabimus annos.
Quin tibi, diva, pios grati donamus honores?
Quin donamus opes? opibus ſi creſcere noſtris
Et cupis, et par eſt. En, magnam tradimus urbem,
Nobilibus gazis, immensâ plebe ſuperbam;
Quam fovet ille meus, mediúſque interfluit amnis.
En tibi, quæ portu ſtant noſtro, mille carinæ:
En tibi, quicquid habent; firma & fragrantia vina,
(Nulla quibus certent) quæ fundunt Gallica rura,
Vitiferi colles: thura en, fructúſque Sabæi.
En tibi Turcarum merces: en, Perſica veſtis.
Africa mittit ebur, tibi gemmas Indus & aurum,
Felix Sina team. Noſtri ſub ſole jacentes

℣ 285. MAGNAM URBEM] Londinum.

℣ 288. PORTU NOSTRO] Portu Londinenſi.

℣ id. MILLE CARINÆ] Naves onerariæ et mercatoriæ.

℣ 291. FRUCTUSQUE SABÆI] **Coffee.** Fruticis Arabici baccæ. Sabæi populi ſunt Arabiæ Felicis.

℣ 294. FELIX SINA TEAM] **Tea**, ſive **Tcha**, herba Sinenſis, ſeu potiùs fruticis cujuſdam Sinenſis et Japonenſis folia, Batavis ac Britanniæ populis jamdiu benè nota; utpote quæ civibus noſtris cùm nobilibus tum plebeiis jentacula et merendas præbent quotidianas.

Ardenti,

Ardenti, ſuccos dulces (nec Hymettia mella,
Nec divûm hos ſuperat nectar) quos canna quotannis
Jamaïcæ fundit, ſua maxima dona, coloni
Ecce ferunt. Quin cuncta tibi ſunt denique parta,
Quæ mare, quæ tellus, vel quæ mea numina præbent.

Finierat Tameſis. Vulgus, proceréſque patréſque
Circumſtant omnes, incondita vota canentes,
Lætitiæ pia ſigna ſuæ. Jámque ordine pompam
Sollennem longo ducunt: conſortia divam
Numina mixta viris comitantur; &, ipſa quod optet,
Quódque Jovem deceat, donant ſuccedere templo.
Templo, quod fertur ferus extruxiſſe tyrannus,
Et genio ſacrâſſe ſuo; ſic condere nomen

℣ 295. SUCCOS DULCES] Saccharum (**Sugar**) ex cannis Indicis et Americanis, omni melle præſtantius, et hodie quidem ad victum et uſus vitæ neceſſarium: quo tamen veteres tantùm ad medicinam utebantur.

℣ 297. JAMAÏCÆ] Jamaica, inſula, una eſt ex noſtris Americanis coloniis, florens atque opulenta, ſed aere torrido.

℣ 306. TEMPLO, QUOD FERTUR &c.] Sic et Rufus ille, ſive Ricardus I. rex Angliæ, aulam *Weſtmonaſterienſem* ex populi ſpoliis ædificavit, et genio ſuo ſacrum eſſe voluit.

Sperans;

Sperans, &, vixit quamvìs, quo bellua, more,
Sic immortalis fieri, cœlúmque mereri.
Ærea erant tecta, atque æreis innixa columnis:
Aureum erat divæ ſolium; radiantiáque auro
Delubra, & gemmis aræ: de marmore factus
Interior paries, & ſectile, vermiculatúmque
Arte pavimentum mirâ: longa atria, & ingens
Circuitus, populíque capax: quodcunque videres,
Artificis ſummum poſſet jactare laborem.
Aſt aliquis ſacrâ lætiſſimus hoſpite, tótque
Adventu divûm, atque idem celeberrimus arte
Lanificâ, ornandi templum cui cura dabatur,
Scitâ pingit acu formáſque & facta priorum,
Quæque olim geſſere, & juſta & proſpera, bella
Pro patriâ noſtri, pro libertate, parentes:
Quæque gerenda forent, moneant aulæa nepotes.

℣ 320. SCITA PINGIT ACU &c.] In ſenaculo, ubi regni proceres conſultandi gratiâ conveniunt, ſive in ſuperiori domo *parliamenti*, cernere eſt hujuſcemodi aulæa, in quibus opifices hoc navale bellum, et Elizabethæ victoriam depinxerunt.

Servitio

Servitio aſſuetos populos, & caſtra Philippi
Cernere erat, portúmque Tagi, ſævúmque tyrannum,
Et formidatam, innumeris armíſque viríſque
Inſtructam, claſſem. Quid? fertur Iberia tota
Navibus! Addunt ſe ſocios, & fœdera jungunt,
Degeneres quoſcunque tuos, O Roma, nepotes
Vana ſuperſtitio traxit. Jovis ipſe ſacerdos,
Rex idem regum, diademate tempora cinctus
Turrigero, verbis altis hortatur ad arma:
Dúmque nefas ſuadet tantum, felicia ſigna
Promittit, faciléſque deos; titulúmque ſuperbum

℣ 324. CASTRA PHILIPPI] II. Hiſpaniarum regis &c. qui ſive religione, ſive invidiâ ſtimulatus, Angliam noſtram, Elizabethâ regnante, in provinciam, immo in ſervitutem redigere ſtatuit.

℣ 325. PORTUMQUE TAGI] Olyſippo, vel Ulyſippo, vel Ulyſſippona. Tradunt enim veteres hanc urbem ab Ulyſſe conditam fuiſſe. **Lisbon.**

℣ 326. ET FORMIDATAM, &c.] *Claſſis illa Hiſpanica viris, machinis, et omni apparatu omnium, quas Oceanus unquam vidit, longè inſtructiſſima, et arroganti nomine* invincibilis *dicta, conſtabat e* 130 *navibus; in quibus milites* 3024, *nautæ* 8350, *remiges catenati* 2080, *tormenta majora* 2630. Camden.

℣ 328. ADDUNT SE SOCIOS &c.] *Huic militiæ nomina ſponte dederunt* Marchio à Burgaw e familiâ Auſtriacâ, Amadeus Subaudus, Veſpaſianus Gonzaga, Johannes Medices, *et plurimi undequaque nobiles.* Camden.

℣ 330. JOVIS IPSE SACERDOS] Sixtus V. pontifex Romanus.

Dat

Dat claſſi, et certa in titulo ſpes ponitur ipſo.
Jámque altâ in puppi ſtat dux Hiſpanus, & enſem
Et fulmen gerit, atque animo fovet impia vota.
Navigat hîc audax: illic freta veſtra pererrat,
Albion; (ah, vix ſufficiunt freta veſtra carinis!)
Littoráque aſpiciens, jam nunc canit ore triumphos
Magniloquo; jam nunc celſas irrumpit in urbes,
Dividit & prædam ſociis, veteréſque Penates
Pellit, & indignis imponit vincla Britannis.
Somnia vana quidem! Nec verba minantia, duro
Sed nec vota duci, ſed nec ſua numina proſunt.
Namque ſibi Pallas ſervat, quas ſtruxerat, arces;
Et pater Oceanus ſervat, quas fecerat, oras.
Inſula chara deis! tibi fortis militat Auſter,

✝ 336. DUX HISPANUS] Alphonſus Perez Guſman, dux Medinæ Sidoniæ.

✝ 340. JAM NUNC CANIT &c.] *Gloriabantur* Hiſpani *quocunque ſe inferrent, victoriam ſecum haud dubiam trahere*; Anglos *ne vultum quidem ipſorum, aut aciem oculorum ferre potuiſſe: et triumphum ſanè ante victoriam editis libris* Bernardinus Mendoza *vanè et mendaciter in* Galliâ *cecinit.* Camden.

Et ruit in claſſem. Tu, gaudens ſurgere cernis,
Inſtar montis, aquas: (fuerat nec juſtior unquam
Ira maris) tu, cœlo & vaſtis freta procellis,
Arma virûm, pictóſque deos, magnáſque carinas
Huc agis atque illuc diverſas: naufraga ſævis
Pars hæret ſcopulis, & mox lethalibus undis
Obruitur: pars en, fugiens, quos ſpreverat, hoſtes,
Turpiter, amiſſis ſociis opibúſque, redire
Jam tentat retro, pelagi ludibria noſtri.
Inſula chara deis! ſic tu, (nec digniùs unquam)
Sic vincis! ſic nec locus eſt terreſtribus armis!
Atque hoc Martis opus, quod totum terruit orbem,
Quod tantus labor, & decimus vix perficit annus,
(Nec centum reparare queant, totidémque tyranni)
Hora rapit: pereunt tetrici monumenta Philippi,

℣ 351. TU COELO ET VASTIS &c.] *Tempeſtatibus, naufragiis, et miſeriis omnibus graviſſimè conflictata, plurimumque acciſa*, Hiſpanica *claſſis domum ingloria rediit.* Camden.

℣ 361. QUOD TANTUS LABOR, ET DECIMUS &c.] Immenſus hujus belli apparatus, et ſumptus infiniti. Neque niſi multis poſt annis, quàm hoc tantum opus incœptum eſt, Hiſpani e portu ſuo navigârunt.

℣ 363. HORA RAPIT] VENIT,

Et navalis honos, vaſtæ, miracula mundi,
Moles; & mendax ſupereſt tantummodò nomen.

Ut pulchra intravit Libertas limina templi,
Et ſedit ſolio; tonitru dedit omina fauſta
Ipſe pater divûm. Subitò, mirabile dictu,
De cœlo lapſa, & plaudens Victoria pennis
(Omina ſic firmans) novies circumvolat ædem.
Augurio læti magno populúſque patréſque
Decretis ſtatuunt ludos, & feſta, diémque;
Et quo more dea, & quâ ſit dea mente colenda.
Jámque cohors omni lecta eſt ex ordine gentis.

NIT, VIDIT, FUGIT, *inſcriptio numiſmatum ſignatorum in hujus rei memoriam.* Camden. Philippus, quùm hæc tanta clades et totius exercitûs interitus ei nunciaretur, fertur reſpondiſſe, ſe parâſſe exercitum ad bellum cum viris gerendum, nequaquam verò ad prœliandum cum ventis ac diis ipſis. Inerat ſanè in his verbis dignitas; atque huic homini ſi comitas et clementia deerat, conſtantia et magnitudo animi non deerat.

℣ 365. ET MENDAX SUPEREST TANTUMMODO NOMEN] Nomen ſcilicet (invincibilis) a pontifice datum; quo quidem nomine ea Philippi claſſis et exercitus in omnibus hiſtoriis adhuc deſignatur.

℣ 369. PLAUDENS VICTORIA PENNIS] Victoriam deam eſſe voluerunt veteres, et pennigeram eam depinxerunt. Vid. Tibulli L. 2. El. 5. ℣. 46. et Ovid. Amor. L. 3. El. 2. ℣. 46.

Illic patriciósque ſenes, juvenéſque videres;
Hîc doctos de plebe viros: glomerantur in unum
Pontifices, proceréſque pii, legúmque periti,
Et mercatores celebres, duríque tribuni.
Agricolæque rudes: templo advigilare jubentur
Noctes atque dies, & longè arcere profanos.
Illis magnus honos certè: contingere majus
Nec potuit nomen, decus illis addere majus
Nec potuit ſuperûmque favor, regúmque poteſtas,
Queis datur & patriam, Libertatémque tueri.
Sed tamen ipſa ſuos conſcripſit diva miniſtros;
Quóſque ſibi aſcivit ſocios, vultûſque animíque.

✻ 376. GLOMERANTUR IN UNUM &c.] Sicut Britanniæ ſenatus, qui fit ex omnium ordinum hominibus, etiam infimorum; neque enim excluduntur opifices, qui in arte ſordidâ verſentur, modò ſint pecunioſi, atque ad emenda ſuffragia iis ſuppetant copiæ.

✻ 384. QUEIS DATUR ET PATRIAM &c.] Nihil eſt jucundius in hiſtoriis ſcribendis, quàm dare operam eorum memoriæ conſervandæ, qui patriam adjuverint atque auxerint, eorum præcipuè, qui patriam a tyrannide liberaverint. Alexandrum, Cæſarem, et iſtiuſmodi heroas miramur forſitan; ſi laudibus eos efferimus, nimium eſt. Sed Timoleonta non modò laudant poſteri, ſed amant, ſed colunt, ſed venerantur.

✻ 386. QUOSQUE SIBI ASCI-

Ingenui proceres; Pallas quos artibus omnes
Omnibus excoluit, doctæ excoluere Camœnæ.
His amor eſt patriæ nullâ mutabilis arte;
His amor eſt patriæ nullo violabilis auro:
Eſt pudor, & probitas, generoſum & pectus honeſtum,
Ingenium ſollers, & firma, & vivida virtus:
Fallere quæ neſcit mens eſt, ac neſcia falli.
Hiſce ſuum credit numen dea provida, ſedes
Hiſce animis poſitura ſuas, ſi fortè tyranni
Inceſtent aras, aut ædes intret Erinnys.
His ſucceſſores en ſunt, quos novimus ipſi,
Quos populus meritis veneratur laudibus omnes:
Quos inter, Cadene, (deæ quis gratior adſit)
Te quoties, vidi, chariſſime? quem mihi junxit
Fœdere amicitiæ ſtudium commune, favórque

VIT. &c.] Hæc intelligas dicenda de iis civibus cùm nobilibus tum plebeiis, qui virtute, exiſtimatione, gratiâ, gloriâ ſub regno Annæ floruerunt, libertatis nunquam non ſtudioſiſſimi.

℣ 399. CADENE.] De Cadeno Serm. pedeſt. vide not. ad v. 77.

Qui

Muſarum Phœbíque patris: quæ gratia Muſis,
Qui Phœbo debetur honos pro munere tali!
Nam vult eſſe mihi, vel quem ſibi legit, amicum:
Dignum ô, quem legeret: ſed enim nil dignius illo,
Cui placidam mentem, mores deus ipſe pudicos,
Cui dedit ingenii vires, & carminis artem.
Nec laudes pia Muſa tuas, noménque tacebit,
Semper honoratum nomen, cùm, Maxime, partes
Pro divâ dignas adeò facis uſque, bonúmque
Numen amas, patrióſque Lares, & amaris ab illis:
Nam tibi pura fides, gravitas blandiſſima vultûs,
Simplicitas prudens, animi candórque pudórque,
Et mite ingenium, atque oris facundia veri.
Te quoque poſt nullos memorem, clariſſime Memmi:

℣ 409. MAXIME] De hôc nomine, poſtquam editum eſt hoc carmen, propè errârunt omnes, id attribuendo homini, cui tum quidem minimè conveniebat; et cujus moribus nunc mehercule nihil eſt tam contrarium, quam hoc elogium. Sed, ut dubitatio omnis jam tollatur, hic agnoſcas, quæſo, mi lector, illuſtriſſimi ac primarii illius viri, EDVARDI HARLEY, comitis de Orford et Mortimer, imaginem, quam hiſce carminibus effingere, et proferre conatus ſum.

Semper

Semper ades divæ, viridanti tempora vinctus
Docta ederæ, quam ultro tibi nexit Apollo, coronâ.
Si conviva jocos agitas; tu cuncta lepôre
Muſæo tingis: ſed neſcis lædere dictis
Ambiguis quenquam, patriam qui lædere neſcit.
At, ſi pauca mones, auſus culpare, ſenatum;
Quæ ſua ſuada tibi dictavit, dulcia verba
Tu profers, quâ mente Cato, quo Tullius ore.
Blandiùs haud unquam Libertas ipſa locuta eſt;
Eloquióque tuo valuere oracula divæ.
Quin etiam Priſci jucunda, optanda ſenectus
Hunc ornat cœtum; quo non virtute vel armis,
Quo non eſt cultor divæ præſtantior alter.
Dúmque fovet, doctáſque omnes complectitur artes,
Dúmque fidem, et mores patrios & jura tuetur,

✝426. PRISCI] JOANNEM FANE comitis de Weſtmoreland, genere nobili, et ſingulari virtute viri: quo nihil eſt gravius, verius, fortius, conſtantius; neque quiſquam domi militiaéque in ſenatu atque in aulâ fidem et officium patriæ diligentiùs præſtitit. Hic talis tantúsque vir, qui natus eſſe videtur reipublicæ causâ, temporis & Sardorum iniquitate (prô dolor!) jam diu à republicâ excluſus fuit.

Magna

Magna illi cura eſt, ut ſit ſibi fama perennis,
Sit ſalvus pietatis honos: neque præmia ſanum
Ulla ſuæ poterint vitæ mutare colorem.
Sed neque, quum meritò vos per mea carmina laudem,
O proceres, templum nemorale, et rura benigna,
Et divæ ſacros quos Varus fecerat hortos,
Prætéream; quicquid Sardi minitentur iniqui,
O hominum venale genus! Non Itala tellus
Tale ſuum miratur opus, Verſalla nec agros
Tam lætos jactat, Tameſina nec alluit unda.
En, hîc clivoſi dependent collibus horti,

℣ 437. QUICQUID SARDI &c.] Sardi venales, Vetus eſt adagium, et de civibus improbiſſimis dicitur. *Habes*, inquit Cicero, *Sardos venales, alium alio nequiorem.* Eos ſanè intelligit, qui rempublicam produnt, et patriam ac ſemetipſos vendunt.

℣ 439. VERSALLA] Verſailles. Regium opus, magnificum, ſumptuoſiſſimum. Hôc tamen loco vix contentus erit curioſus et elegans ſpectator, ubi ſitiunt fontes, et Naiades fruſtra quærunt, unde laventur.

℣ 440. TAMESINA NEC ALLUIT UNDA] Nuſpiam ſunt gentium aut lautiores villæ, aut horti cultiores, quàm in Angliâ noſtrâ, ii præcipuè, qui ad Tameſim jacent. Hominum enim noſtrorum arte et labore efficitur, ut arbores, frutices, flores, fruges fructúſque, non dico indigenæ, ſed tranſmarini et exotici, etiam ii, qui igneam vim ſolis poſtulant, ſine eâ tamen hic alantur, et creſcant.

℣ 441. EN, HÎC CLIVOSI &c.] Brevem hic habes villæ (Stow) deſcriptionem,

Quóſque hinc deſpicias umbroſâ in valle jacentes.
Hi pomis gaudent variis, hi floribus halant:
Obliquo hos videas diſtingui, hos tramite recto,
Sepibus hos hirtis, excultis ſepibus illos.
Hîc apibus frutices, & amœna roſaria Nymphis,
Vatibus hîc lauri creſcunt, tibi, Tityre, fagi,
Diis patriis quercus, veſtra ô tutela, Britanni.
Eccę recurvatum fontes ſinuantur in amnem,
Percurrítque lacus liquido violaria rivo.
En, almæ Veneris ſedes, doctæque Minervæ,
Muſarúmque domos. En, hîc venerabile numen,
Quod non ulla movent aut vota, aut munera regum,
Numen Amicitiæ, pulchras ſibi condidit ædes.

ſcriptionem, cujus magnificentiam nunquam ſatis mirari potes. Horti ſunt ampliſſimi, templis, aris, ſtatuis, tabulis, imaginibus, columnis &c. referti; qui magnitudine omnes alios ſuperant, et etiam elegantiâ; niſi ſi aliquis faſtidioſior contenderit hic nimia eſſe omnia. Hæc lautiſſima villa olim Libertati fuit à domino dicata: cui deo dicanda ſit, ab hæredibus quæras.

℣ 454. NUMEN AMICITIÆ] Plurimæ nationes, exteríque populi Amicitiam deam finxerunt: at templum ejus nullibi (puto) niſi in hiſce hortis hodie conſpicitur. Rectè autem templi hujus ſacerdoti præcipiendum videtur, ut ad ſta-

En Stygium flumen; ſed non inamabilis unda:
Nec rimoſa ſenis cymba eſt: quin portitor omni
Exuto ſqualore nitet: ſtat & ipſa Megæra
Reginam ſimulans, ne quenquam offendat imago.
Quid, quòd & arboreos labyrinthos, antra, lacúſque,
Balneáque, & turres, & paſtoralia tecta,
Pyramidas, vatum tumulos, pontémque ſuperbum,
Heroas, priſcóſque deos, & templa deorum
Dædaliæ finxere manus? Vidi omnia, rebúſque
Attonitus tantis ſtupui. Tuque ingenioſa
Dum luſtras, hoſpes, lautæ miracula villæ,
Alcinoíque ſolo lucos & culta vireta
Dum Vari præfers; tamen hîc potes hoſpita ſacra,
Hîc potes Alcinoi faciles cognoſcere mores.

tum loci et res ſuas ritè ordinandas legat, perlegátque Ciceronis librum de Amicitiâ; ut in hâc pulcherrimâ æde collocentur perſonæ aptæ, et illuſtrium virorum et optimorum civium tabulæ et imagines. Quid enim turpius, quid ſtultius, quàm in Amicitiæ templum inducere, loci ſupellectilem et ornamenta futura, homines ambitioſos, vanos, venales, malè conſtituti animi et inconſtantis, qui cum contra rempublicam plus plúſque peccaverint, tum inter ſemet ipſos malè conveniat?

* 468. HIC POTES ALCINOI &c.] Alcinous, rex Phæacum, inſulæ

Digna loco Titan Vari præcordia fecit,
Numine digna loci: Sic pergat dicere Muſa,
Vare, tuas laudes, modò ſi conſtanter ad actum
Extremum perſtes, nec ſplendida polluat arva
Ambitio, nequeátque tuam vexare ſenectam:
Si tibi, dum juvenes Sardos audire recuſas,
Creſcat amor patriæ, quantum horti gloria creſcit:

ſulæ ſcilicet Corcyræ (Corfu) dominus, vir juſtiſſimus, et valdè ſtudioſus ac diligens hortorum cultor. Ulyſſem hoſpitio accepit ipſe hoſpes liberalis et amabilis. Laudatur ab Homero Odyſſ. lib. 7. Nos quidem hujuſcemodi virorum, liberaliſſimorum ſcilicet hoſpitum et benigniſſimorum, domeſticis exemplis abundamus. Sed neſcio quo morum aut temporum vitio inveteravit, ut quotieſcunque in Britanniâ noſtrâ hoſpitio acceptus fueris, etiam ad coenam vocatus, largiter hercle largiendum ſit miniſtris et ſervis omnibus; ita ſanè, ut minori ſumptu coenam tibi et paucis convivis domi apparari jubeas. Hoc tantum malum queruntur omnes, non modò peregrini homines, ſed noſtri, atque ei quàm maturiſſimè ſubveniendum cenſent, ſed nemo remedium invenit.

¥ 471. MODO SI CONSTANTER &c.] In primâ hujus libri editione Vari laudes aliter, ac eas nunc habetis, ſonabant; quanquam nunc quoque amicè et magnificè ſonant. Nam metuo omnia, et laudationibus meis cautionem quandam ſanè adhibendam cenſui, ex quo tempore iſti glorioſi cives, qui nos in ſummam expectationem adduxerant, patriam et amicos deſeruerunt. Tum verò maximè mihi caveri oportet, quum de iis ſit dicendum, qui provincias regunt, aut munere publico funguntur. Quinetiam cum exceptione ſunt laudanda ea loca, amoeniſſima quamvis ſint, quæ ſemper Sardis patent.

Si tibi vel quos ver, vel quos tibi blandior æſtas
Hîc gratos ſpirat, ſint Libertatis odores:
Si domus omnis idem, ſi fontes, ſaxa, columnæ,
Si, poſſent arbuſta loqui, tibi conſona, Vare,
LIBERTAS O MAGNA DEA EST, arbuſta ſonarent.

His ego fas cupiam miſceri, ſi mea ſemper
Diis patriis ſervata fides; doctóſque Penates,
Teque, O Libertas, quali Phœbúmque Jovémque,
Si pietate colo; juvenis, quocunque vocabas,
Si veni, veniámque ſenex, quocunque vocâris.
Auguror at ſiquid veri, tua gloria creſcet,
Diva, labore meo, & mores, & facta tuorum
Poſteritas diſcet; causâ modò carmina tali
Digna mihi dederint Latiæ, quas primus in ædes
Has ſacras mecum potui perducere, Muſæ.
Ecquis enim tanti eſt, ſit magni Cæſaris hæres,
Invictúſque heros; ſit divûm ſtirpe creatus,

Præſi-

Præſidium populíque decus, venientia ſecla
Quem non neſcierint, vatum ſi fortè carebit
Auxilio? Cui vultus picti, aut Cous Apelles
Profuit, aut, cujus mirâ perfecerat arte
Effigiem, Zeuxis? Quídve æs, vel ſculptile marmor,
Phidiacæve manus, vel docti ſigna Myronis?
Quídve ſepulchra juvent; cùm cernimus ipſa metalla,
Saxáque poſſe mori? Tacitum terit omnia tempus.
En, ævi quæ nunc dicuntur gloria noſtri,
Celſæ ædes, delubra, deíque altaria ſummi,
Quæque Ægyptiacis cruſtis decorantur et auro,
Quæque auri pretium ſuperant, Titiane, tabellis
Clare, tuis; et quas Bonarotæ protulit ingens
Ingenium, atque tui, Rafael divine, labores,

℣ 495, 497. APELLES. ZEUXIS.] Pictores veteres, arte ſuâ clariſſimi. Apelles autem non modò omnium celeberrimus, ſed etiam inſuper vir bonus, comis, modeſtus, liberalis. Vixit temporibus Alexandri magni, qui, cùm ab Apelle ſolo pingi vellet, id quidem edicto cavebat.

℣ 504, 505, 506. TITIANE, BONAROTÆ, RAFAEL] *Titiano*, *Michel-Angelo Buonarruoti*, et *Rafelle da Urbino*, natione Itali: quorum tabulæ omnium ſermone, et

Cuncta cadent! Non ulla operum monumenta manebunt,
Non fama artificum; fuerint nisi tuta favore,
Et studio, doctæ, vestro servata, Camoenæ.
Heu, quot inornati quondam periêre Britanni,
Insignésque duces bello, patriæque parentes!
Quæ virtus! quæ facta virûm! quot nomina magna
Jam nox longa premit, quia nullis cognita Musis!
Sed, nisi carminibus, quis noscere posset Atridas?
Quis Laertiadæ casus, Æneïáque arma;
Semideósque, deósque? quis ipsas noscere Musas?
Et sua Pieridum testantur carmina dotes,
Et sibi Parnassum, dant & sibi carmina numen.

Jámque frequentatur templum; proceréque Britanni,
Plebeiíque senes, pueri teneræque puellæ,

eruditissimorum judicio sunt celebratissimæ. Floruerunt circiter annum 1500. Sed Rafael præ ceteris floruit; et propter artis suæ, etiam omnium optimarum artium scientiam, aut propter ingenii virtutes et morum suavitatem, totius Italiæ et omnium gentium consensio DIVINI ei cognomen adjecit.

Et

Et lauro ornati vates, auroque nitentes
Magnanimi heroes festinant ad tua sacra,
Candida Libertas, & te, dea, ritè precantur;
Festáque muneribus cumulant altaria dignis.
Indomiti legatus adest ductórque popelli,
Casta olim Druidum sedes, quem Cambria nutrit,
Vir bonus, hospitii veteris non immemor unquam.
Nempe Britannorum prisco de sanguine cretus
More facit patrio sollennia vota; bovésque
Indigenas aris, & pingues destinat hædos,
Montanásque feras: sed & aris omne quod offert,
Dat læto vultu, dulces libátque liquores.

℣ 525. INDOMITI LEGATUS ADEST &c.] Cambriæ populi, Britannorum posteri et reliquiæ, de virtute suâ rectè glorianter, se nimirùm nunquam subactos fuisse, et bello domitos. Præterea autem nemo dubitet, qui ad generis antiquitatem spectat, eos nobilibus nostris anteferre: nostri enim sive a Saxonibus, sive Normannis sint oriundi (mitto eos, qui nobiles appellantur, quum sint nobis orti majoribus) sanè hercle præ Cambris sunt homines novi.

℣ 526. DRUIDUM SEDES] In Monâ insulâ (Anglesey) erat notissima Druidum sedes; sylvæ scilicet opacæ et incæduæ; plurimæ ibi quercus ingentes, sacræ, etiam fatidicæ. Jamdudam verò factum est, quum sylvestres illæ arbores cum Druidibus et dïis suis ex insulâ abierunt.

Libertas

Libertas quæ ſit, dudum cognovit, & arma,
Et vultus, habitus, mores reminiſcitur omnes,
Antiquáſque domos divæ Plinlimnona dicit.
Deinde pruinoſis commigrat Scotus ab oris
Gnarus militiæ, frugíque, & fortis amicus,
Bellica dona ferens: dúmque hanc circumſpicit ædem,
Et formam, & comites divæque inſignia, jactat,
Nomine communi gaudens, ſeſe eſſe Britannum.
Mox parvis rediens Laribus miracula narrat,
Civibus atque ſuis meritos promittit honores,
Et pacem agricolis, & nautis æquora tuta.
Jámque Caledonii meliùs procedere ſoles
Incipiunt, meliùs gelidi glacialia fulgent

℣ 532. DULCES LIBATQUE LIQUORES] Cereviſiam, potum ſanè indigenam. Ergo longè errat Plinius, cùm Galliam fuiſſe autumat cereviſiæ inventricem.

℣ 535. PLINLIMNONA] Cambriæ montem celeberrimum, commune Britannorum perfugium, quo utebantur, quum exterorum hoſtium numero et multitudini tandem coacti eſſent cedere. Loca inculta, aut ubicunque iis licebat eſſe liberos, non injucundas ſedes ducebant.

℣ 537. FORTIS AMICUS] Neſcio quo accidit, certè equidem id mihi gratiſſimum accidit, ut ab ineunte ætate cum Scotis quibuſdam familiariter vixerim, viris probiſſimis, eruditis, jucundis; quos et mihi amiciſſimos ſemper cognovi.

Signa

Signa poli: immites jam libertate fruuntur:
Orcades, & meſſes ſperant: vix cognita cœlo,
Nullius vel cura dei, cœleſtia tandem
Numina ſentit ovans, & adorat barbara Thule.

Poſtquàm diverſis, floret quibus Albion, ampla
Opplentur populis lætantibus atria templi;
Ex divæ ſociis, propiùs quíque aſſidet ipſi,
Dux magnus, fortíque & pectore notus aperto,
Aſſurgit, patriæ ſemper ſervire paratus,
Et contrà ſtare, incurrat ſi turba Cyclopum.
Quicquid recta fides, quicquid prudentia rerum,

℣ 549. THULE] Shetland. Crebrò ab antiquis ſcriptoribus hujus inſulæ mentio facta eſt, præcipuè a poetis; quam extremam in ultimo ſeptentrione eſſe putabant. Uſque ad hanc diem vetus nomen quodammodo Thule conſervavit; quippe Thylenſel à nautis hodie appellatur.

℣ 553. DUX MAGNUS] Jacobus Butler, dux Ormondus, armis, factis, famâ inclytus, ortu et avitis titulis generoſus. Regnante Annâ, erat præfectus prætorio, et bis miſſus eſt ad regendam Hiberniam.

℣ 555. TURBA CYCLOPUM] Gens quidem diis æquè ac hominibus infenſa. Res verò humanas vexant, turbant, lacerant, diripiunt Cyclopes ad inſtrumenta luxuriæ ſibi comparanda. Sibi enim placent, ſibi vivunt.

Ars belli quicquid poterit, vel fervida virtus,
Ille poteſt. Hinc laudem magnam, hinc nobile nomen,
Hinc ſublime decus, ſummóſque meretur honores.
Tum verò aſpectans populum, plenúſque recenti
Numine, cultóque hæc ſpectabilis ore profatur.
Sacra, diem feſtum, quæ nec ſperare vel auſi,
Vel meriti ſumus, en nobis, en attulit ordo
Seclorum magnus, vel cura benigna favórque
Cœlicolûm. At quocunque modo, ſeu munere divûm,
Seu caſu his potimur; bona noſcite veſtra, Britanni.
Hîc & veſtra ſalus poſita eſt, & gloria gentis,
Cenſus, opes, artes, pia quas nunc aula tuetur,
Et quas lucroſas mercatura invenit urbi,
Et docta ingenuas mea quas academia tradit.

℣ 568. PIA QUAS NUNC AULA TUETUR] Aula Annæ, piiſſimæ reginæ, quæ juſtitiæ et virtutum omnium fuit patrona.

℣ 569. ET QUAS LUCROSAS &c.] Sæpe mihi non modò noſtri, ſed peregrini hoſpites confirmârunt, negotiatores noſtros in ſcientiâ ſuâ eſſe perfectiſſimos; quorum cùm induſtriam et diligentiam, tum ſagacitatem ac ſolertiam ne quidem ſatìs laudare poſſum.

℣ 570. ET DOCTA INGENUAS MEA QUAS ACADEMIA &c.] Academia ſcilicet Oxonienſis, cui dux ille Ormondus præfuit, bonarum

Sed nequis metuat, quoniam nil mitius illâ eſt,
Libertas ut ſit gravibus laſſata periclis,
Aut malè conveniat ſibi res ſua tempore iniquo;
Temporibus lætis apta eſt, feralibus apta;
Cultrix æqui, & pacis amans, ſed idonea bello.
Illam quid memorem (dixiſſes, Pallada cerno)
Induere & galeam, validóque accingier enſe,
Ut Thebas, nunc ut Spartæ defenderet arces,
Ut ſibi nunc doctas ſedes ſervaret Athenas?
An dicam, majora deæ modò facta revolvens,
Ut res Romanas curârit, ut auxerit urbem;
Auſa, quod armatus Mars vix auderet, inermis
(Ah! ſortem miſerata tuam, Lucretia,) regno

rum omnium et liberalium artium nutrix et alumna, atque inſulæ hujus gloria et decus. Quam primarii et clariſſimi cives fovent, amántque, quam exteræ nationes ſummâ obſervantiâ colunt. Quid vero? Eſtne quiſquam omnium mortalium, (prætermitto Cyclopum & Sardorum gentem) qui almæ huic academiæ quid mali cogitet, aut ei inimicus eſſe poſſit, niſi is ſit, qui rempublicam delere cupiat, et literis ipſis ſit inimiciſſimus?

✱ 583. LUCRETIA] Nomen celebratiſſimum, non tam propter mulieris formam et pudicitiam, de quâ ſæpe ſubtiliter diſputatum eſt, quàm quòd mors ejus cauſa fuit Romanis, regibus exactis, ſe in libertatem vindicandi.

Pellere Tarquinios, & Bruto tradere faſces?
An potiùs nobis ſociali fœdere junctis
De Batavis narrem, quos divæ bellica virtus
Flammíſque undíſque eripuit, manibúſque tyranni;
Queis animos, legéſque dedit, faciléſque Penates?
Illa artem docuit Batavos, quâ ſtagna colantur,
Quâ vada, quâ rupes; ſterilis quâ reddat arena
Frugiferas meſſes; quâ dulcia præbeat arbos
Poma, vel invitâ terrâ; quâ cuique colono
Fiant magna ſatìs ſua, quamvìs parvula, rura.
Hoc ſtupet ipſa Pales, Cereris ſtupet inſcia virtus,

℣ 587. MANIBUSQUE TYRANNI] Philippi II. Hiſpaniarum regis, cujus ab imperio, id quum minimè pati poſſent, olim defeceruntBatavi: nuperrimè verò a præfectis ſuis, et forſitan ab ipsâ republicâ deſcitum eſt. Hi enim præfecti et civitatum principes, ſive pretio corrupti, ſive foederatorum ſociorúmque rebus et conſiliis parùm fidentes, quum neque bellum vellent, neque pacem, et irruptio à Gallorum copiis facta, et munitiſſimæ urbes eſſent expugnatæ, ſubitâ plebis ſeditione concitatâ, magiſtratu ſe abdicare coacti ſunt, et regnum uni deferre.

℣ 589. ILLA ARTEM DOCUIT BATAVOS, &c.] Magnopere ſoleo mirari id ingens artis opus, immenſamque operum molem, quâ Batavi mare difficile potuerunt excludere, atque arenam et paludes et ipſam aquam vertere in prata et agellos fructuoſiſſimos, in hortulos et floraria pretioſiſſima.

Atque

Atque ſuas miratur opes, gentíſque laborem.
Inſuper his urbes Venetûm, Ligurúmque ſuperbas,
Helvetios Rhetóſque, et parvæ moenia Lucæ
Nunc poſſem celebrare. At quid feliciter actas
Res veteres divæ referam, ſua commodat ultro
Numina cùm nobis præſens? nec digniùs orbi
Adfuit. En, comptos cincta eſt diademate crines:
Sceptra gerit, ſunt & quæcunque inſignia regum.

℣ 596. URBES VENETUM LIGURUMQUE] Venetias et Genuam, ampliſſimas ornatiſſimáſque urbes, et pulchritudine ædificiorum maximè insignes. Haud tamen mihi valdè arridet Ariſtocratia (in hiſce enim urbibus optimatum dominatu omnia tenentur) ni tales rempublicam adminiſtrent optimates, quales in carminibus meis Libertas ſibi legit conſiliorum ſocios.

℣ 597. HELVETIOS] Switzers. Natio fortiſſima, maximáque, et benè conſtituta eſt reſpublica; quæ, cùm vicini et finitimi omnes ſervitutem patiuntur bellis etiam aſſiduis fatigati, ſummâ pace ac tranquillitate fruitur.

℣ id. PARVÆ MOENIA LUCÆ] Libera in Italiâ civitas, Luca ſive Lucca, eſt jure æquiſſimo, prudens, ac bene morata.

℣ 601. COMPTOS CINCTA EST DIADEMATE CRINES: SCEPTRA GERIT &c.] Multa equidem inter noſtros reipublicæ principes, et viros in primis graves et doctos, qui res politicas plenè et accuratè tractare ſolent, de regiis Libertatis inſignibus diſſeruntur; quæ, cùm nimis invidiosè hæc virgo inclyta aliquando geſtavit, tum autem nimis temerè et infeliciter abjecit. Solio ſedeat: diademate ornetur: teneat ſceptrum: uſque teneat. Utinam. At verò meminerit ſe deam eſſe non unius familiæ, neque unius civitatis, ſed totius populi deam. Porrò autem, cùm non poteſt, quin tyrannidem apertè ſemper

En, vates claróſque duces invitat ad aras,
Invitátque deos: terris ſuperíque fruantur,
Et nobis ſuperíſque frui cœlóque licebit
Ante diem; ſi, quas Libertas ipſa petivit,
Has teneat ſedes, his gaudens diva moretur.
Hoc orate Jovem: noſtros moneántque nepotes
Hoc unum, quod nos monuere, oracula prima,
Annales priſci, & felicia tempora mundi;
SI SIT LIBERTAS, NON ULLUM NUMEN ABESSE.

Hæc ubi, conticuit. Dat proſpera ſigna futuri,
Dat certa; & patrum, & plebis dea comprobat acta.
Deinde jubet, votiva aris quæcunque ferantur,

per oderit, tum utique iis omnibus, qui ſuas frequentant ædes, impudentem et immoderatam licentiam præcidat.

℣ 611. SI SIT LIBERTAS &c.] *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia*, verſus eſt Juvenalis, ut in quibuſdam codicibus legitur. At quorſum, quæſo, omnis tua prudentia, ſi ſervire coactus fueris? aut quî crudelis domini furorem à cervice tuâ averteris? Tum præſentes eſſe, tum adjutores deos ſentias, quum ſis liber, quum hominem improbum repellere aut fugere, quum bonum obſervare et amare tutò poſſis.

Illis

615 Illis dona dari, qui ſunt modò vulnera paſſi
Pro patriâ. Affulſit populo, dum talia mandat,
Lætior, ambroſios & ab ore afflavit odores.

℣ 615. ILLIS DONA DARI &c.] Quanquam, de ſeculi hujus heroibus, nunquam mehercule animum induxi, ut benè exiſtimarem, quorum conſilio bella ſuſcepta ſunt et inflammata, quum ſit bellis nihil miſerius; ii tamen, ſive nobiles ſive ignobiles, qui pro patriâ ac libertate publicâ fortiter pugnaverint, meâ quidem ſententiâ nunquam ſatis dignè laudari, honoribus decorari, præmiis donari poſſunt. Quapropter prædicare ſoleo, et admirari gerontocomia iſta, ubi veterani milites, et nautæ grandævi, jam belli laboribus fracti, benignè excipiuntur et aluntur, in hoſpitia perquam commodè diviſi.



TEMPLUM LIBERTATIS.

LIBER SECUNDUS

SCRIPTUS EST ET EDITUS ANNO MDCCXLIII.

ÆNEARUM TABULARUM

Explicatio.

I. TABULA *in hâc cernere eſt Juſtitiam, Victoriam, Pacem et loci Genium ex urbe Londino ac Britanniâ noſtra evolantes.*

II. TABULA, *ſive argumenti litera initialis, exhibet figuram Melpomenes Britanniæ vicem dolentis.*

III. TABULA *in hâc depinguntur Fata, ſeu Parcæ in manibus geſtantes ſaccos aureorum plenos, Pluti dona.* Fata etiam &c. ℣ 317.

IV. TABULA *effigiem exprimit Pluti è* Pecco Derbienſi, *rupe perfractâ, in terram erumpentis, in Ditis curru et equis inſignibus vecti.*

V. TABULA *in hâc, literâ ſcilicet initiali, effinguntur oves ſeſe ex altâ rupe in mare præcipitantes.* Sic ovium cuſtos &c. ℣. 303.

VI. TABULA *in hâc ultimâ effingitur Plutus, qui poſtquam Libertatis templum intravit, Cyclopum et militum turbâ benè comitatus, divæ ſolium temere aggreditur, in eam ipſam auſus invadere. At Libertatis ſceptro quàm leviter percuſſus, ſolii ab aſcenſu repellitur, proditur, fugatur.*



ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI.



ARMEN hoc poeta orditur a querelâ & expoſtulatione, ſed verecundâ ſatis. Iterum invocat divam Libertatem. Invocat & Lælium ſuum, virum nobilem, at doctiſſimum & amiciſſimum. Jupiter de opere ſuo ſibi gratatur. Populi & Muſarum pietas. Interea ad Inferos nuncius advenit, qui narrat de Libertate in Britanniam adventu, de divæ officiis, ſtudiis, ſociis, cultoribus; ex quibus conjecturam facit de impendente malo, & futuris Erebi damnis. Inferorum fremitus & ira. Rex ipſe, convocato celeriter concilio, exquirit ſuorum ſententias, rogatque, quid parandum ſit ad ea, quæ a Libertate metuant, propulſanda. Plutus, divitiarum deus, conſilium ſuum impertit, artes explicat, arma oſtendit, quibus recentis hujus numinis cultores, divamque ipſam è templo ſperet fu-

ARGUMENTUM.

gare, ſi totum negotium ſibi permittatur. Permittitur. Ipſe Ditis curru invehitur, quò facilior ſit aditus ad terram; quam ſimul ac tetigit, figuram induit humanam, & ſpeciem præ ſe fert viri boni, pii, gravis, blandi. Rectà ingreditur fanum Libertatis. In ſatellitium divæ cooptatur. Deinde, donis muneribuſque largè datis, tantum perficit, ut dux factus ſit cohortis, cui templum tuendi & conſervandi cura mandatur. Jamque, atrociſſimam Britanniæ calamitatem machinatus, dona parat uberiora, regia, immenſa. Cunctorum civium mores & animos largitionibus corrumpit. Cuncti in ejus cauſam deſcendunt, non ſolùm pauperes & plebeii, ſed antiſtites, proceres, principes reipublicæ. Qui minùs peccant, tempori parent. Porrò autem ipſe loci Genius, diique Indigetes aufugiunt: & certa eſt ſuſpicio Fata, ſive Parcas ipſas Plutum juviſſe; quas vehementer poeta incuſat de immaturo Bruti interitu. Conqueritur itidem de incommodo valetudinis ſuæ. Deinde ſuos Plutus, ſuo uſus inſtituto, ad delicatè vivendum, ad compotationes & convivia ſumptuoſiora cohortatur; cohortatur ad amores, ad adulteria, ad impuritates omnes ſuſcipiendas; quibus haud quidquam magis expediat ad firmandam dominationem. Auſcultatur. Paretur. Luxû & inertiâ defluunt omnes. Veneranda parentum facta, artes ingenuas, & patrios deos contemnunt, ac per jocum irrident. Intereà hoſtes exteri in prædam invitantur. Britannos impunè vexant, ſpoliantque; quibus ſanè vetitum eſt eorum impetus reprimere. Nunc verò Plutus, multo quidem gaudens ſucceſſu, officii ſui partes explere cogitat, & penitus evertere totam rempublicam. Quapropter operum conſors accitus eſt Cyclops quidam rapaciſſimus; quem glorioſo fratris nomine Plutus cohoneſtat. Illi mandantur omnia. Ille domi præſes, ad exteros legatus, ad populum concionator. Ille tributa ac vectigalia imponit augetque, & iſtâ ratione permagnam ſibi coacervat pecuniam; permagnam Pluto annumerat, quicquid nimirùm auri in corrumpendis civibus Plutus impenderat de ſuo. Populi miſeriæ, & gravis ſervitus. Vatum querelæ, & lugubre carmen. Denique Plutus ſimulatâ pietate ac verbis blandiſſimis Libertatem adit, aureos montes pollicitus, ſi modò dea amicos ſuos miniſtroſque expellat templo, & ſe & res ſuas

omnes

ARGUMENTUM.

omnes fidei & arbitrio Cyclopis rectè committat. Quum verò nihil aſtutiis aut promiſſis effectum ſit, iram evomit, mera ſcelera loquitur, & patribus minaciter Plutus imperat, ut à divæ latere, & ab æde ſacrâ ſtatim diſcedant. Quid ad hanc injuriam addi poteſt? Vehementer dea commovetur; ac ſortem ſuorum indignata tandem, ſceptro Jovis Plutum percutit, formam hominis aufert, & populo immaniſſimum exhibendo monſtrum ducis infandi crimina, & errorem omnium omnibus manifeſtè exponit.





Gul.m Green Junr. Delin. P. Fourdrinier Sculp.

TEMPLUM LIBERTATIS.

LIBER SECUNDUS.



ACTENUS Aonides cecinerunt omnia læta.
O ſi ſic canerent! ſed non placabile numen
Fatorum, ſed triſte nimis, mentemque benignam
Conſiliumque Jovis ſæpe in contraria vertit,
Invidet et noſtris felicia tempora terris.

Hinc

Hinc ſine honore aras, hinc fraudes, bella, rapinas,
Hinc latè ſcelerum videas florere miniſtros,
Hinc fortem ignavis populum ſervire tyrannis.
Impulit ah! ſuperos quid cedere numina monſtris,
Quid ſua Tartareis, ſolitúmque negare favorem
Officiúmque orbi? Neque enim (peccavimus ultro
Nos gravius ſiquid) divûm mortalia curas
Effugiſſe reor. Sed tandem define, Muſa:
Immenſum moliris opus, ſi inquirere tanta
Nequicquam pergis. Nam cuncta, et ſingula cur non
Sint bona perpetuò, cur non ſint optima, quæ dî

℣ 8. HINC FORTEM IGNAVIS &c.] Quot, quales, quantas terræ regiones ita hodie regnari nobis conſtat? ſed enimvero mira ſunt, ni principes iſti, qui in pueritiâ bonis artibus et diſciplinis haud liberaliter fuerint inſtituti, in provectiore ætate vitiis obruantur; quíque ſolâ ſpe imperii fuerint educati, non modò injuſtâ eâ novam ſibi dominationem comparandi, ſed rerum omnium cupiditate incendantur.

℣ 16. SINT BONA PERPETUO &c.] Quæ incommoda et calamitates mortalibus accidunt, terræ infœcunditas, peſtes, incendia, bella &c. ſi non juſſu, dei permiſſu, neceſſe eſt, accidant. Quorſum verò? perdifficilis ſanè quæſtio, quam doctiſſimi homines et ſapientiſſimi nequicquam conati ſunt explicare. Sed tamen, ut ut hæc ſunt, mihi perſuaſum eſt et orbem noſtrum admirabiliter à deo adminiſtrari, et humano generi optimè conſuli.

Fecerunt

Fecerunt, nos cauſa latet, ſempérque latebit.
Nec licet, aut fas eſt cœlum incuſare querelis:
Nec potis, aut fas eſt ſcrutari arcana deorum.

At tu ſancta fave, ſi nunc quoque rite vocaris,
Libertas: ſi me damni inſtrumenta recentis,
Venalis populi mores, procerúmque notare
Si delicta jubes, aptam ſuperinjice nubem,
Aut, precor, arma tuo Vulcania porrige vati:
A Pluto, à Pluti ſociis, cœtúque Cyclopum
Quò nos, et curſus noſtros, ſuetóſque labores,
Otia quò præſtes, quò præſtes omnia tuta.

Túque, meis rebus qui ſemper adeſſe paratus,
Quíque meum nomen ſummo dignatus honore

℣ 23. APTAM SUPERINJICE NUBEM &c.] Hectorem nubis tegmine Apollo circumdedit, Iliad L. 2. Et Venus eodem amictu Æneam, et Achatem velavit. Æneid. L. 1. At mehercule iſtiuſmodi tegumentum haud tam aptum eſt heroi fortiſſimo et homini adoleſcenti et armato, quàm inermi et infirmo ſeni, qualis eſt hujus ſcriptor carminis.

Inſeris

Inſeris Aoniis (parvis haud præmia tanta
Debentur meritis) melioris vatibus ævi;
Nunc miſeros luctus, & triſtia carmina dulci
Colloquio releva. Non te, Cadene, loquelæ
Deficiunt ſuaves, animíque potentia verba
Signa tui; veterem queis conſoleris amicum.
Sic te Calliope foveat, tua fama: tuíque
Sub titulo gaudens præclari nominis îſſe.
Caſtáque dum patitur, dum ſe dea comis amari,
Collaudet mores; recitet, quâ voce ſolebat,
Pierio tua ſcripta choro; quin, dona ſororum
Sacra ferens, ſemper cingat tua tempora lauris.
Numen Amicitiæ veniat, comes addita Muſæ:
Hæc quoque magna dea eſt: ſed et hæc dea faxit, et illa,

℣ 33. CADENE] Quo tempore hoc ſcribebam, in morbum incidit graviſſimum et diuturnum, quem quidem, præſentiente animo, ſemper reformidabat Cadenus meus, et quo tandem extinctum fuit clariſſimum illud ingenii et patriæ lumen. Animi et ingenii vires, ut ſnprà dixi, ſatis teſtantur Cadeni opera venuſtatis, ſalis, leporis, eruditionis et humanitatis plena.

Si forſan, Cadene, forent, jam tempora dura,
Uſque tuos poſſis doctos ſervare ſodales,
Ipſe animi florens nullos ſentire dolores.

Jámque Jovis miramur opus: miratur et ipſe,
Quòd terram hanc, quam nec placidi fortéſque Penates,
Quam neque cœlicolæ, manifeſto ſive favore,
Sive operâ, ſeu voce juvent, fecêre beatam,
Libertas vel ſola facit. Nil quæritur ultrà.
Sed neque deficiunt gratos pia vota Britannos;
Nec pia facta deæ ceſſant memorare Camœnæ.

Intereà ex illis, qui res turbare jubentur
Humanas, ſævi Ditis pervenit ad aulam
Nuntius: adventum narrat, nomènque, animóſque,

ỽ 44. TEMPORA DURA] Vix biennium interceſſerat ab hôc ſermone, quem vaticinantis more habui, cùm nubila et dura iſta tempora, etiam graves procellas vidimus omnes, magno cum noſtro incommodo et dolore ſenſimus plurimi.

Et Libertatis ſocios, vigilémque cohortem :
Diva deûm indigetum ſit quali cincta coronâ,
Munera quæ miſeris, quæ det præcepta beatis,
Imperio quæ damna Erebi metuenda minetur,
Edocet, atque operis quæ ſit fiducia cœpti;
Et redeant ne regna, timet, Saturnia mundo,
Hæc loca Libertas, hæc ſi ambitioſa tenebit
Templa diu, ac nullos patietur terra tyrannos.
Quæ ſimul audierat, furit atri regia Ditis:
Conveniunt Erebi proceres: ingentior æquo
Exundat Phlegethon, volvítque incendia latè,
Irarum fluctus: ſqualorem vultibus addunt
Terribilem Manes, & longa ſilentia rumpunt;
Atriáque inſolitis implent clamoribus Umbræ.

℣ 58. DEUM INDIGETUM] Moris erat Græcorum veterum et Romanorum deos ex hominibus facere, qui dii indigetes appellabantur, et præerant ſingulis urbibus, oppidis, pagis: quem morem uſque ad hoc tempus Romani ſervant, et uſque eò, ut hodie haud ſit locus diis Romanis vel in urbe, vel in calendario ſuo. Quapropter modò deliberatum eſt de tollendis è deorum numero quibuſdam obſcurioris famæ et nominis. Sanè hercle perdifficilis deliberatio!

Rex

Rex Stygius famulóſque deos, diráſque ſorores,
Harpyïáſque, Hydráſque, & Gorgonas evocat omnes,
Monſtráque, quæ ſemper mœſtâ verſantur in aulâ.
Quid ſtatuant, quærit; queis arcem exſcindere telis,
Quam virgo moroſa tenet, Stygióſque tueri
Queis poſſint fines; (infami hôc nomine ſignat
Albion) an tentanda dolis ſint omnia; an optent
Prodigia, & Peſtes, Furiáſque immittere mundo.
Surgit ad hos, auro devinctus tempora, Plutus;

¥ 71. DIRAS SORORES.] Furias. Quæ à Virgilio canes dicuntur. Cicero malos et perditos cives Furias vocat.

¥ 75. VIRGO MOROSA] Diva Libertas.

¥ 79. PLUTUS] Quem poetæ fingunt divitiarum eſſe deum: ſed et cæcum eum faciunt et malum numen;

quia malis amicus eſt,
Simulque objecto cuncta cor-
rumpit lucro. Phædr.

Apud Hebræos Mammon appellatus eſt: cujus formam, officia et mores ecquis rectiùs deſcripſit, quàm Milto noſter? Verùm ſanè neſcio, an omnia in hunc Hebræum Mammonem et Plutum illum conveniant. Ego quidem, quæcunque de noſtro tradidi, is poſtquam hominis formam et vultum induit, me certo auctore comperiſſe affirmo. Plutus ille noſter erat erga amicos comis, humanus, liberalis; in domo et victu ſplendidus, ſumptuoſus, prodigus; in omni vitâ diſſolutus, ambitioſus, intemperans. Multos affabilitate ſermonis et jucunditate quâdam devinciebat; tot verò omnium ordinum homines donis & largitionibus, ut, quibuſcunque rebus ſibi opus eſſe videbat, ſive firmiori præſidio, ſive prudentioribus conſiliis, ſive ſenatoriâ potentiâ, ea omnia ad nutum ejus præſtò eſſent.

Quo non eſt alter terris ſollertior hoſtis.
Namque potens ſcelerum, damnosâque arte ſuperbus,
Et lapſas res mille dolis reparare peritus,
Gratus adeſt Diti: in duris nec deficit unquam.
Tartareos ſpectes vultus, haud fœdius ullum eſt
Ex Erebi monſtris: geſtus mutârit & ora,
(Et mutare poteſt,) nihil eſt formoſius illo.
At nunc aula ſilet. Circumſtant undique Manes
Innumeri, & voces gaudent haurire nefandas
Auribus attentis, dum Plutus talia fatur.
O qui res Erebi curas, rex maxime regum,
Eumenidas cohibe: neque nunc, quam cerno parantem
Irruere in terras, hinc, quò vult, migret Erinnys.
Apta quidem non eſt operi, patiénſve laborum,
Quos rerum moles, & publica commoda poſcunt.
Quippe ſuis ſi non auſa eſt ſerpentibus uti,

℣ 81. DAMNOSA ARTE] Largiendi ſcilicet, et hominum animos et mores pecuniâ et pretio corrumpendi.

Nec

Nec violare diem potuit ſine numine divûm;
An divos ſteterit contra? Sed cogitet amens
Contra ſtare: ſines? Non hoc furialibus auſis
Tempus eget: neque nos, toties quod movimus olim
Fruſtra eheu, bellum jam ſuadent pondera rerum!
Ars ſiqua eſt, vigili ſiqua experientia veſtro,
Dictis ſiqua fides; en, veſtra potentia, viréſque,
Armáque! (& oſtendit maſſas, quas fecerat, auri)
Siquando terras Libertas dura petivit,
Regum ſæva ultrix, & amicis parcere regum
Neſcia, quos Ditis numen præfecerat orbi;
Méne auſa eſt contra cauſam contendere plebis?
Méne pati auratum potuit? Nonne ipſe fugavi

℣ 96. NEC VIOLARE DIEM POTUIT &c.] Vide Æneid. L. 8. ubi Juno evocat Alecto ex inferis. Poſtea verò quàm Furia confecit Junonis mandata, abire cogitur, et ad ſuos ſe recipere.

Te ſuper ætherias errare licentius auras
Haud pater ipſe velit ſummi regnator Olympi.

Cede locis.

O ſi deus aliquis Furiam hancce, quam modò vidi hìc quoque licentiùs errantem, turbantem, miſcentem omnia, è terrâ noſtrâ abire juberet, cogeretque! At quis (malum) huc evocari, et accerſi Furiam juſſit? Mirum, ni de Sardis noſtris incantator aliquis, aut orator fuerit.

Et

Et divam, et vates divæ ſocióſque miniſtróſque,
His ſolis uſus, ſolíſque his utilis, armis?
Graiæ, divitiis & libertate potentes,
Nunc ubi ſunt urbes? Ubi nunc eſt libera Roma,
Conſcriptíque patres? Neque noſtram illuſerit artem
Gens, hodie quæcunque cupit reſpublica dici.
Quid? Veneti, Batavi, Ligures parere recuſant
Unius imperio? vexantur mille tyrannis,
Sanguine quos animíſque æquant, ſervire coacti
Civibus, ecce, ſuis. O quantum profuit auri
Majeſtas, ſuperûm cùm reddidit irrita dona,
Et ſua cœlicolas oracula fallere juſſit!
Cœlicolæque iterum, ni me mea ludat imago,
Deficiántque artes, loca nobis debita cedent.

Tu modò da veniam; da, rex, mihi viſere terras;

℣ 110. SOLISQUE HIS UTILIS] Hæc modeſtiùs de ſe prædicare Plutus videtur; cùm præterèa magna ei erat commendatio orationis, et plurimum eloquentiâ poterat, hanc etiam ad civium perniciem convertendo.

℣ 115. QUID VENETI, BATAVI, LIGURES?] Vide not. ad ℣. 587. et ℣. 597. L. 1.

(Jamque

(Jamque operi accingor, percepíque omnia mente)
Efficiam poſthæc, ut captet nulla Britannos
Officioſa hoſpes, quamvis deſcendat Olympo;
Ut neque ſit nimiùm felix iſte angulus orbis,
Vel ſibi, vel ſuperis placeat. Sint omina fauſta;
Sacra mari ſeu ſit, ſeu ſacra ſit inſula cœlo,
Credite, adhuc veſtra eſt; donatáque regna relinquet
Jam nunc Libertas, aut fiet nomen inane.
Nil moror excubias vigilum, qui limina templi,
Qui ſervant aras; cùm molles centuriones,
Cauſidici, proceréſque illis miſcentur egeni,
Et ſcribæ, venale genus: mihi dona ferenti
Tota cohors aderit ſupplex, & fœdera veſtra,

℣ 135. ET SCRIBÆ, VENALE GENUS] Multiplex eſt ſcribarum ordo. Sunt ex iis, qui res rationéſque fiſci, alii ærarii, alii vectigalium curant, et conficiunt: alii provinciarum ſtatum ordinant: alii coquis, cubicullariis, veſtiariis regiis munera ſua deſcribunt, et diſponunt: alii ſuperioris ordinis ſcribæ, domi militiæque negotia operoſiora explicant, et expediunt. Sunt denique et alii, quos ſcribas urbanos dixeris, ſi non magni nominis viros, at dominos magnæ pecuniæ, qui publicis iſtis et ampliſſimis fœneratorum ſocietatibus aut præſunt, aut ſerviunt: **Directors and Clerks of the Banks and great trading Companies.**

Quæ

Quæ modò calcavit, firmatâ mente repoſcet.
Quin comitum divæ, ſint Bruti, ſíntque Catones.
Semideíve omnes, propiùs ni corniger Ammon
Advigilet templo, ſperem corrumpere mores.
Ipsáque virgo dolis (ipſam tentare vel auſim)
Succumbet noſtris, pretio quà cuncta patebunt,
Si poſuit ſedes. Quid? fœmina reſpuet aurum
Hæccine, tantillum numen? parvóſque Penates,
Et magno exiguam dubitabit vendere terram;
Si deus eſt aliquis, qui cœlum vendidit auro?
Judicium Paridis ſemper memorabit Avernus,
Et divûm ultrices iras, & funera Trojæ.
O qui tum riſus nobis! O fabula quanta
Et cœlis terríſque fuit, cùm regia conjux,
Cùm pia nata Jovis, ſanè caſtiſſima virgo,
Et nudæ viſæque diu certamen in iſtud

℣ 146. SI DEUS EST ALIQUIS, &c.] Miſeranda an irridenda eſt ſumma eorum ſtultitia, qui homines ſui ſimiles deos faciunt, tum venerantur, tum denique de his ipſis diis mimicis cum magnâ ſuperſtitione cœlum auro emunt?

Veniſſent

Veniſſent ultro! Liceat caruiſſe pudore
Cœlicolis: ſed nulla viro, ſed nulla decenter,
Caſta minùs, ſeſe mortalis fœmina nudam
Exhibuiſſet, amans quamvìs: de fæce popelli
Prætream miſeras in turpi fornice ſtantes.
Si tantum potuit, facies quippe aurea, malum;
(Attamen haud inerat pretium, vel pondus in illo)
Hæ maſſæ quid non poſſunt? quos magnus acervus,
Aut quos non capiet, ſi decidat aureus imber?
Ecce, tenet Danaen (vidiſtis) ahenea turris:
Jupiter hanc ardet: ſed nec pater invenit artem,

℣ 158. SI TANTUM POTUIT, &c.] Nimis verò ſubtiliter hîc diſputat Plutus, & malè hercle mihi videntur hanc Paridis fabulam intelligere, qui eâ ſignificari volunt magnam vim et auri potentiam. Certè equidem hæc præcipuè monet fabula, nihil fœminæ gratius aut jucundius accidere poſſe, ea cujuſcunque ſit ordinis aut loci, quàm ut conſtanti famâ et omnium ſermone propter eximiam ſuam formam celebretur, et verâ pulchritudinis laude ceteris omnibus anteponatur. Sed neque tamen dubitari poteſt, neque ego quid contrà diſputo, quin fœmina formoſiſſima, etiam regina aut reginæ filia, permagno auri pondere poſſit corrumpi; id Danaes exemplo, quod Plutus hic adjecit, diſcimus. Verùm, ne fabulosà vetuſtate nitamur, totam hanc rem magnus ille cardinalis de Retz, qui mores hominum benè cognovit, et oſtendere potuit, in commentariolis ſuis narratione brevi facetiſſimè explicavit, et confirmavit.

Tela nec, æratos valeat queis frangere poſtes,
Fortia ſufficiunt armamentaria cœli.
Poſcit opem: ferimus. Mea gaudens induit ora,
Fitque aurum; & vincit, quod nulla potentia divûm,
Quod non vincit amor: cunctis gratiſſimus hoſpes
Tecta ſubit, Danaénque petit, potitúrque petitam.

Dixit, & ingenio plaudunt cæca atria Ditis;
Conſiliúmque probant proceres, laudántque nefandum.
Monſtrat iter rex ipſe: atque, ut nihil obſtet eunti,
Donat equos, &, quo rapta eſt Proſerpina, currum.
Conſcendit Plutus: per ſedes Noctis opacas,
Pérque informe Chaos, pérque aſpera viſcera terræ
Fertur ovans; ſequitúrque viam, quam fecerat olim
Dux Erebi, ut gemino feralia fœdera mundo,
Et facilis fieret ſuperas aſcenſus ad auras.
Heu, nimiùm facilis! reſeratáque janua Ditis,
Infamíſque via hæc patet, æternúmque patebit,

Spelunca

Spelunca immanis, vaſtóque horrenda receſſu;
Cui veteres ex re nomen poſuere coloni
Obſcœnum. Stygius deus hinc erumpit in orbem:
Nec ſuperi vetuere nefas; nec reppulit hoſtem
Indigetum ſociata manus. Simul ille maligno
Tellurem ſummam pede tangit, & omnia luſtrat,
Ditis mandat equis, referant, Barathróque reponant
Terribilem currum: at ſenſit vicinia tota
Ignipedum vires, vix quamvìs viderat ora.
Sed vidiſſe ſat eſt. Omnis perit arbor, & omnis

✝ 181. SPELUNCA IMMANIS, &c.] In agro nimirùm Derbienſi, longa 2250 pedes, nomine inſignis. (The Devil's Arſe in Peak.) Cùm enim majores noſtri hanc ſpeluncam à Dite factam eſſe crediderint, Ditis ipſius nomine eam nuncupârunt. Sed ad metum omnem vicinitati tollendum, ſive ad contumeliam aliquam in Ditem ipſum jaciendam, eum per jocum more ſuo irridentes, nomen ſpecûs à fœdiore ejus corporis parte trahi voluerunt. Per hunc locum ſubterraneum proximâ æſtate penetravi: ſed propter limum et aquam et aſpera et immania ſaxorum fragmenta perdifficile erat iter. Quidam ex poetis noſtris et hujus ſpeluncæ et cetera omnia Pecci (The Peak) mirabilia ſermone Latino et patrio cecinerunt. Plurimi etiam oratores, hiſtorici, philoſophi, geometræ eadem delineârunt, et celebrârunt. Tu, mi lector, ſi modò ſit tibi otium, libellos conſule.

✝ 190. OMNIS PERIT ARBOR, &c.] Ager, in quo ſita eſt hæc ſpelunca, et tota, quæ circa eſt, terra informis, infœcunda, infructuoſa eſt.

Aret ager: ſqualent montes: nec vota, nec ulla
Ars revocare poteſt Cererem infelicibus arvis.

Jámque novat Plutus formam; jam contrahit artus,
Exuit & Stygios vultus, immaniáque ora,
Atque altos ponit faſtus; hominíſque figuram,
Et veſtes ſumit, frontem &, cui fidere poſſes,
Si fronti foret ulla fides: nam ſive colorem,
Sive animum ſpectes, ſani veríque coloris,
Ingenuíque animi, fortis, pius eſſe videtur,
Aptus amicitiæ, non unquam oblitus amici.
Deinde tuas, Tameſis, ripas petit, atriáque ampla,
Quà Libertatis celebris via ducit in ædem.
Hanc intrat; plebíque piæ ſe immiſcet, et audax
Omnia reſpondet ſcitantibus, Unde? Quis eſſet?
Utque habitus, geſtúſque viri mentitur, & ora;

℣ 201. DEINDE TUAS, TAMESIS, RIPAS &c.] Atrium atque templum Libertatis, quod in libro ſuperiore dicitur olim fuiſſe regia tyranni, cujuſdam Rufi (puto) è Normannorum gente, jacet in occidentali urbis parte prope Tameſis ripam.

Sic

Sic patriam, & proavos, generoſáque nomina fingit.
Nec ſua nunc aberat merces: ſpectabilis auro
Mille capit ſplendore oculos, primâque colentum
Mille capit pietate animos; ex ordine cunctos
Indigetes, magnúmque loci dum numen adorat,
Blanditiáſque affert, aríſque ingentia dona:
Quæque fidem verbis facerent, ſi pectora donis
Tartareíſve dolis poſſent cœleſtia falli.
Quin ſua vox Pluto prodeſt: nam ſive precatur
Supplice voce deam, ſive extra limina templi
Facta deæ, & laudes ficto ſonat ore, putares,
Gratia & ornatis inerant facundia dictis.
Si tamen haud inerant; at certè blanda loquentis
Vox fuit hæc auri; et quid non vox ſuadeat auri
Humanas mentes, fuerit cùm numen in illo?
Jam quoque res populi curans ſeſe ingerit actis

* 210. MAGNUMQUE LOCI DUM NUMEN &c.] Ut in hanc inſulam venit Plutus, diligentiſſimus fuit libertatis cultor; et diurnâ hâc ſimulatione ſuſpicionem omnem effugere, et dignitatem ſuam augere potuit.

Omnibus,

Omnibus, eloquióque animíque ardore favorem
(Quà vocat uſus, adeſt) plebis procerúmque meretur;
Excubiíſque ædis ſacræ, famulæque cohorti
Additur infernus, mutato nomine, Plutus:
Nam ſibi dat Marci nomen. De gente Latinâ
Scilicet ortus erat; cujus quoque plurimus inter
Majores numeratur eques. Tum fallere pergit
Succeſſu lætus primo, fortéſque bonóſque
Sollicitare viros audet, de plebe verendos
Patricióſque ſenes: iterúmque iterúmque repulſus
Perſtat adhuc, tentátque, omnes quî vincere poſſit
Muneribus palpans. Neque nunc, ſi commoda magna,
Si ſocias claſſes, ſi tempora fauſta Britannis
Promittit, (faciles capiunt promiſſa Britannos)

℣ 226. NAM SIBI DAT MARCI NOMEN] Nempe M. T. Ciceronis; quod nomen ob eloquentiam ſuam ſibi arrogavit Plutus, quodque unâ voce comprobârunt ſui omnes, ſocii, amici, clientes, paraſiti.

℣ 233. NEQUE NUNC, SI COMMODA MAGNA, &c.] Nimirùm quæ promiſerat Plutus reipublicæ. Quæ enim promiſſa familiares, ſocii, clientes, etiam paraſiti ab eo exegerunt, iis ſe teneri putabat.

Perjurare

Perjurare timet: fua quid perjuria monſtro
Tartareo noceant? Sic votis omnia demum
Reſpondent Pluti, & cunctis cedentibus, (auſis
Obſtiterit ſiquis, ſpoliatur, & exulat aulâ)
Jam rerum ſummâ potitur, dux ipſe cohortis
Legiferæ factus; quódque unum optaverat, ædis
Præſidet auguſtæ foribus. Venerabile numen,
Et noſter Stygio cuſtodi creditur orbis!
Sed tamen, ut ſibi tota cohors devinctior eſſet,
Si majus conatur opus ſollertia Pluti,
Molitur ſi grande ſcelus; primoribus urbis,
Quorum forſan adhuc animis pietáſque fidéſque
Hæreat, ille jubet vel maxima dona parari:
Qualia vix quiſquam ſine divûm numine ſperet;
Qualia vix reges, vix poſcat regia pellex;

℣ 240. DUX IPSE COHORTIS--LEGIFERÆ FACTUS] Nulla lex per viginti annos niſi ad nutum Pluti lata eſt, aut abrogata.

℣ 250. VIX POSCAT REGIA PELLEX] Et omnia quidem poſcunt regum pellices et concubinæ, haud unquam divitiis et honoribus contentæ, aut eorum calamitatibus, quos odio habent, ſatiatæ. Quæ non modò populo, ſed regibus ipſis, quæ velint, imperant. Per eas enim

Vix aut Socraticæ chartæ, vel pagina Tullî,
Vix aut carminibus vates meruere priores.
Maxima dona quidem; ſed nullo parta labore.
Contigerit quicquid Plutus, mutatur in aurum:
At neque pœna tamen ſequitur miracula, ſtultus
Quam Mida rex ſubiit. Quicquid fert undique tellus
Uſibus humanis aptum, tecta, herba, ſupellex,
Veſtitus, victus, Cereríſque & munera Bacchi,
Atque foci, fumíque, etiam lux publica ſolis,
En, aurum fiunt! Hinc ſunt immenſa metalli
Pondera, tot Pluto hinc maſſæ ſunt, quot nec arenæ
Præbuerint omnes, quæ nunc tua flumina tingunt,
Africa, nec, dives quos jactat America, montes.

enim ſæpiſſimè creantur magiſtratus majores, exercituum duces, provinciarum præfecti, et quod ridiculum nec minùs flagitioſum eſſe videatur, etiam epiſcopi.

℣ 256. QUAM MIDA REX SUBIIT] Vide fabulam Midæ in Ovid. Met. L. 11. Hâc fabulâ ſcriptor facetus mihi videtur emendare velle principum iſtorum mores, quibus inſita eſt vehemens auri et rerum alienarum appetitio, quibus cùm nequeant frui, ſæpè ſibi exitium parant.

℣ 260. EN, AURUM FIUNT] Ea omnia ſcilicet fiunt vectigalia. Enimvero haud in aliâ ullâ orbis regione graviora vectigalia et tributa populo imponuntur.

Ecquis,

Ecquis, iò, talem ductorem ferre recúſat?
Ecquis non proſtat pretio procerúmque patrúmque;
Vertit & ad quæſtus tantos ac lucra pudenda
Ora, manus, animos? ô & ſuffragia vertit?
En, Auguſtinus, vates divûmque ſacerdos;
Quem capitis commendat honos, & geſtus, & oris
Eloquium, Plutúmque colit, promiſſáque dona
Expectans, Stygio ſuperûm reſponſa tyranno
Aptat; & indigetes Pluti exhortatur in hoſtes.
Scaurus conſulibus magnis, & regibus ortus,
Dives agris, opibúſque potens, ut ſpectet acervos

℣ 268. AUGUSTINUS] Antiſtes ſatìs doctus, nimis verſutus. Is olim habitus eſt, admodùm tum adoleſcens, veritatis et dei cultor: et quia tum quoque locuples erat rei familiaris, ecquiſnam de animo ejus præmiis corrumpendo quid ſuſpicaretur? Poſt Pluti autem adventum, ei ſe totum addixit Auguſtinus; uſque eò, ut Pluti ope ad ſummos tandem aſcenderit honores, et cenſum ſuum cumulatè auxerit. Quum nihil erat, quod ultra poſceret jam ſeptuagenarius, liberis orbus et pecunioſiſſimus, haud tamen aut honoribus aut re ſuâ erat contentus. Egregiè hercle patriſſabat Auguſtinus noſter.

℣ 273. SCAURUS] Certè equidem à magnis et præclaris regibus ortus, ſed inficetus, indoctus, inhumanus et majoribus ſuis neutiquam erat dignus. Opiparè ſemper edebat atque ita avidè, ut edacitate ſuâ, morte meritâ, perierit.

Majores, fortè ut lucrum prædámque superbis,
Sufficiat fervis, fastus Plutíque cachinnos
Fert nimiùm patiens, pactâ mercede, fuóque
Inscribit natos sceleri, venditque nepotes.
En, comes assiduus, quo non corruptior alter,
En, Bassus, quo non Pluto sceleratior alter
Annuit, adjutat, simulans castúmque piúmque,
Candorémque animi, generosaque pectora jactans
Conciliantis agit, sic scit quoque fingere, partes.
Sic quoque res agitur Pluti. Dum splendida verba
Dat Bassus populo, loquitur dum mitia regna,
Qualiacunque volet Plutus, mendacia conflat,
Qualiacunque volet, firmat mendacia Pluti.
Lollius hic etiam, nempè hic liberrimus, ultro

¥ 280. BASSUS] Tantum animi candorem præ se ferebat, et fermone tam modesto aliquando utebatur, ut, quum maximè insidias reipublicæ moliretur, quorumdam civium, qui nunquam contra rempublicam dissentiebant, captaret benevolentiam. Hâc quidem simulatione res Pluti præcipuè adjuvabat; omnia Pluti mandata diligentissimè curabat; ac tantam sibi jam auctoritatem comparaverat, ut, cùm Pluto succedendum esset, regnum Plutonium sibi destinaret.

¥ 288. LOLLIUS] Senator sanè nequam et forensis impudentiæ, sed ingenii

Cui nunc ſtulta ſuam credit Vigornia cauſam,
Deſerit officium; & reges qui prodidit olim,
Nunc Libertatem prodit, veteréſque ſodales,
Egregios pietate viros, quibus omnia debet
Perfidus; & mores, regnúmque, & crimina Pluti
Dum malè defendit, vel ſe putat eſſe diſertum.
Si tamen eſt aliquis, cui Pluti munera ſordent,
Quem nec avaritiæ, quem nec trahit ulla voluptas,
Hunc trahit ipſe timor. Cúmque alter peccat & alter,
Hic, quia ſic mos eſt, peccat, ſequiturque priorem.
Nimirùm metuit, ne de tot millibus unus,
Magnanimi recolens ſortem Cerealis iniquam,

ingenii minimè abſurdi. Fuerat olim optimarum partium. Sed luxu à primâ adoleſcentiâ diffluens, ut haberet, immutatâ jam civitate, unde copia eſſet molliter et magnificè vivendi, rempublicam et amicos deſerit, transfugítque ad Plutum. Poſt Lollii obitum edita eſt Apologia, quæ famam ac ejus facinora quodammodo defendere videtur.

v. 300. CEREALIS.] Præſul hic fuit, ſiquis alius, ſanctus, præſtanti ingenio, et altiſſimâ eruditione et doctrinâ: cui verò nemo homo Britannus eâ tempeſtate par erat eloquentiâ. Semper quidem in ſenatu civis optimi functus eſt officio, omnia Pluti conſilia acriter oppugnando, nequè unquam deſiſtendo, quibuſcunque rebus poſſet rempublicam adjuvare. Ob eximias haſce virtutes Pluti af-

 tutiæ

Sit ſine honore pius, ſit læſus crimine falſo.
Sic ovium cuſtos ſiquando de grege magno
Viderit has, illas, ſubito terrore coactas,
In mare præcipitatum iri de vertice montis;
Ecce, pecus totum ſequitur: furor omnibus idem;
Idem animus: nec vox blandi revocare magiſtri
Nota poteſt, nec, ſi ipſe aderit, Pan ſiſtat euntes.
Res mira! haud equidem faceret quod maxima virtus,
Ipſe timor fecit: ſpretum eſt quodcunque periculi;
Et pecus infelix periit, ne fortè periret.
At quid, Muſa, mihi memoras mortalia facta,
Deformeſque animas, ſi nunc & numina peccant?
Muneribus Pluti victus, ſed & arte dolosâ,
Aufugit ipſe loci Genius, veteréſque Penates.
Dî quoque capripedes vicinis hoſtibus arma,

tutiæ et optimatum invidia excellentem hunc virum, iniquiſſimo ſenatûs conſulto damnatum, in exilium egere. Obiit Lutetiæ Pariſiorum.

* 315. DII QUOQUE CAPRIPEDES, &c.] Dii ſcilicet agreſtes de plebe Panis; qui quidem textrinas nobiles more noſtro in exteris regionibus inſtituerunt; etiam lanam

Et vires & gentis opes, ſua vellera tradunt.
Fata etiam, quæ non potuit pater ille deorum
Flectere, quæ nunquam ſuperi vertere precando,
Se pretio corrupta movent. Corrupta moveri
Quidni ego crediderim pretio? ſua ſtamina monſtris
Si nunc permittunt Erebi, juvenúmque ſenúmque,
Qui Pluto infenſi, qui ſunt virtute potentes,
Juſſæ, heu, rumpunt, quæ reſtant, fila Sorores!
Occidis ô, gentis noſtræ ſpes unica, Brute!
Ingenuæque artes ſiquid meruere, Britanni
Nominis æternum decus occidis! Ipſa, tuarum
Conſcia virtutum, nunc primùm publica damna

lanam Britannicam in eas regiones occultè exportandam curârunt. Nihil autem queror de Pane ipſo, quem ſemper cuſtodem habuimus rebus noſtris fidiſſimum. Uſque habeamus!

✝ 324. BRUTE] Brutus noſter, ſicut ille Romanus, cultor ac ſocius erat divæ Libertatis, patriæ parens, et in ſenatu facilè princeps: porrò autem orator plenus et perfectus, et admiratione digniſſimus, etiam ſi olim fuiſſet. O quàm funeſtus civibus noſtris iſte, quo periit, dies! quàm jucundus cunctis Cyclopibus et Pluti impuriſſimæ cohorti! Si de filiis ejus inquiras, ita mehercule ambo à paternis virtutibus degenerârunt, ut à Pluto procreati eſſe videantur.

Liber-

Libertas numerat; nunc & ſua vulnera ſentit.
Sentit abeſſe Jovem; putat hæc extremáque mundi
Tempora, cùm tanta eſt Pluto ſævire poteſtas,
Et datur in ſcelerum ſocias arceſſere Mortes.
At vos, Pierides, ſicui libâſtis adempto
Aut juſtas lachrymas, aut dulcia carmina vati,
Heroi ſicui, nunc ô concedite Bruto
Pauca meo! Ille etenim felix eſt, aptáque veſtris
Materies numeris: ſolitus defendere leges,
Eloquio ſolitus patrios defendere divos,
Numinis inſtar erat; cantari & numine dignus.
Me quoque dum patriam laudo patriæque parentes,
Et dulces mihi docta canunt præſagia Muſæ,
Læſerunt, O Brute, tui contagia fati.
Moroſus fregit viréſque, & fortia corda,
Ingeniúmque meum morbus; mortémque vocare

✻ 342. MOROSUS FREGIT, &c.] vix ſum recreatus, quando carmen hoc ſcribebam. Ex longinquitate graviſſimi morbi

Heu,

Heu, mihi in auxilium miſero dolor ipſe coegit!
Si prope convalui, ſi mens eſt ſana, recentis
Dira manent, en, ſigna mali, quod contudit omnes
Sævius articulos chiragrâ! mea ſcripta retractem,
Scribere plura velim, calamo non apta tenendo
Officium, malè firma, ſpum vix dextera præſtat.
Sobrius, & cultor ſacri, dii, talia vates,
Tot mala, dii, merui? Merui: neque enim grave quicquam
Conquerar, aut credam, quod vos ſtatuiſtis, iniquum.
Certa deûm mens eſt: certo regit omnia fine.
Quis tamen hanc cladem, aut fata immatura virorum,
Quos merces, quos dat Pluti ſententia letho,
Imputat authori? Nos irreparabile damnum
Plangimus: ille autem inſultat, fruitúrque ruinâ,

℣ 354. QUIS TAMEN HANC CLADEM, &c.] In hiſce graviſſimis civitatis temporibus ſiquis conſilia ſalubria dabat, aut ea exquirebat, quæ ad diſciplinam et bonas artes colendas pertinerent, quæ publicis commodis inſervirent, aut cives in priſtinam concordiam reducerent, hujus hominis pietas et prudentia morte ſubitò extinquebantur. Neque tamen ſuſpicio ulla in Plutum cadebat.

Et

Et cœnas & feſta vovet feralia Parcis.

Nec ſatis eſt Pluto fatalia ſpargere dona:

Mira refert præcepta ſuis, vel qualia neſcit

Mollis Ariſtippus. Quid ſit benè vivere, doctus

Uſibus, ipſe docet ſocios; quo Bacchica ſacra,

Quo more inſtaurent epulas; decus omne ſecundæ

Quid menſæ faciat; quæ ſint firmiſſima vina.

Blandi creſcit amor luxûs. Hunc ſumma bibendi

Gloria commendat, qui nullo palluit hauſtu,

Et cujus calices tremeret Germania tota.

Hic variare dapes, ſimul & corrumpere diſcit

Gallorum ritu, invitare & odore palatum.

Rancida enim, variiſque modis vitiata ſit eſca,

Cœna quidem lauta eſt, & magnis regibus apta,

¥ 360. MIRA REFERT, &c.] Propter novam et profuſam luxuriem Pluti domus communi maledicto à bonis civibus notabatur. Impendiſſe quotannis dicitur Plutus centena millia nummûm noſtrorum in conviviis apparandis, lenis et lenonibus conducendis, equis, canibus et ſcortis alendis.

Et

Et regum natis; ſi nunc ponatur in auro.
Nil vulgare placet: dapibus celebratur opimis
Feſta, nefaſta dies: vel centum fercula patrum
Primores cœnant, & mille ornata figuris.
Quin curat, loquitúrque cohors convivia tantùm,
Exemplóque ducis tota eſt ſtudioſa culinæ.
Ille novas cœnarum artes, inventáque laudat,
Ingeniúmque gulæ. Meritorum præmia quiſque
Conſequitur; doctúſque coquus præfertur Homero.
Forſan & antiſtes fiet; ſi garrulus idem,
Bellus homo ſi ſit, ſeu terræ filius audax,

℣ 380. DOCTUSQUE COQUUS] In ſummo honore eſt apud optimates noſtros ars coquinaria, & nihil iis gratius, quàm menſa conquiſitiſſimis cibis onerata. Ut elegantiſſimos Galliæ principes imitentur, ingenium gulæ ſanè impenſè admirantur, & laudant. Atque, qui novum aliquod condimentorum genus invenerit, eum quæſtuoſiſſimâ procuratione aut legatione, ſaltem laureâ donandum eſſe cenſent.

℣ 381. FORSAN ET ANTISTES FIET] Dii immortales! Qui magiſtratus, præfecti, præſules à Pluto ſunt creati; de fæce populi homunciones indocti, parafiti edaces, lenones impuriſſimi! Siquis verò flagitiis & infamiâ ita flagrabat, ut eum Anglia noſtra non ferret, provinciæ cujuſdam Americanæ præfectura, aut ditiſſimum ſacerdotium in regno Hiberniæ ei dabatur.

Seu ſcurra infidus, qui multis ſeria nôrit
Vertere ſacrà jocis. Quid tum, ſi curia noſtra
Clauſa foret, titulóſque illi ſedéſque beatas
Difficilis nimiùm, ſibi diſcors ipſa, negârit?
Hoc quoque profuerit: mare tranſeat, arváque opima,
Et novus optatas ſibi vindicet incola meſſes.
Nec ſanctum nomen, nec purpura deerit, Iernos
Cùm tumidus proceres inter patréſque ſedebit;
Cùm dabitur præſtare vices regúmque deûmque.
Deinde viros, faciléſque, adſint ſi fortè, puellas,
Deinde ſuos omnes læta inter pocula Plutus
Hortatur, Veneri ſtudeant: ſimul illius arma,
Et planè officium memorat, variáſque figuras
Concubitúſque novos, quos vix excogitat uxor
Infamis Cæci, obſcœno riſúſque jocóſque

✱ 396. UXOR CÆCI] Mulier nobilis, quæ Suſannæ nomen ſumpſit, bellæ ironiæ gratiâ. Ita enim libidine erat accenſa, uti, ceu Petroniana iſta Quartilla, nunquam meminerit ſe eſſe virginem. Adultâ ætate cùm eſſet, non minùs pecuniæ, quàm pudicitiæ parcebat. Quum verò ex quæſtu meretricio infinitos ac perpetuos ſumptus haud quidem ſibi ſuppe-

Sermoni miſcens. Hæc plaudit cuncta, notátque
Impia turba animo memori, Plutíque fatetur
Divitis ingenii venam: namque improba verba,
Atque joci turpes, ubi nec reverentia menſæ,
Nec fuit ulla deûm, quem non fecere diſertum?
Quinetiam elumbes, aut quos Veneri minùs aptos
Morbi detineant, aut quos effæta ſenectus,
Ille docet, firmas (aurum medicamina præbet)
Quid revocet vires; quî ſit renovanda juventus.
Tum ſeſe jactat, Veneríſque ad ſacra paratos
Uſque ſenis nervos, heſternáque gaudia narrat.
Majus opus mandat validis. Tentare jubentur
Ulteriùs cunctos aditus magnæ urbis & aulæ;
Ut nequis vir ſit caſtus, nec fœmina caſta.

ſuppeditaret, lenocinium exercebat, Pluti domum frequentabat, ei commeſſationes et ſcorta præbebat. At verò, quum Plutus meretricios ſuos amores nuptiis demum conglutinaret, ut more iſto et peſſimo hôc exemplo cæteri cives vitam viverent, ejus uxori Suſanna noſtra aſſiduè aſſidebat, miniſtrabat, aſſentabatur.

Cæci cognomentum accepit matronæ hujus famoſiſſimæ maritus, utpote qui furta ac facinora Suſannæ ſuæ minimè deprehenderet, quæ tamen vel cæco apparerent.

Laudatur mœchus, laudatur adultera conjux:
Nec tenuis laus eſt venerandi ſiquis amici,
Auſus erit ſiquis patrium violare cubile.
Hoc facit ad regnum Pluti. Mercede, nec ullis
Qui capiendus erat donis, hunc captat amica,
Hunc prodit pellex, aut, rarò fida mariti
Arcanis, matrona potens. Furioſa libido
Quantum egit, monitis ſi non contraria Pluti!
Omnia ſed monitis parent. Jacet obruta virtus.
Fortia noſtrorum ridentur facta parentum,
Simplicitas & priſca: fides ridentur & omnes,
Quos incendit amor patriæ; populúmque tuendi,

✠ 421. FORTIA NOSTRORUM, &c.] Statuit Plutus, *bonum* et *malum*, *virtutes* et *vitia* nomina eſſe inania, nihilque alia ab aliis intereſſe, aut differre; oportere omnes homines rem familiarem augere quocunque modo; amori, gaudio, luxuriæ et animo ſuo publicè indulgere; doctrinam, eruditionem, et reconditiores literas, quæ non niſi multo cum labore et vigiliis perdiſcantur, eſſe contemnendas: poetas omnes, eos præcipuè qui ſatyras ſcribunt, et philoſophos ſeveriores à patriâ exulandos; qui rebus publicis ſtudent, negotiatoribus favent, pro patriâ pugnant, qui denique deos res humanas curare putant, eos omnes inſanos eſſe judicandos.

Et

Et quibus eſt ſtudium firmandi fata nepotum.
Ridentur, viles animæ, qui præmia poſcunt
Ingenii, lauros fragiles, titulóſque caducos:
Scilicet hæc ſibi cuncta habeant, hæc munera tantùm.
Odit enim Plutus divinas Palladis artes,
Muſarúmque choros; longè quos arcet ab aulâ,
Atque ſuis arcet longè: nam ſæpe notavit
Fata virûm famámque Orco invidiſſe Camœnas,
Et Diti, & magnis adeò uſque infenſa tyrannis,
Multùm Erebi rebus nocuiſſe oracula vatum.
Ridet at inſanus præſentia numina cœtus;
Annoſam Cererem ſua ſerta & liba ferentem,
Pomoſóſque hortos Vertumni & mollia vina,
Et pia vota dei: tum ridet ruſtica Panos
Munera, & hirſutam Tamiſis barbámque, & amictum

℣ 435. ANNOSAM CERERE M &c.] Vide in L. 1. divûm munera, quæ Ceres, Vertumnus, Pan et Tameſis, honoris cauſâ, Libertati afferebant.

℣ 437. ET PIA VOTA DEI] Vide in L. 1. ℣. 210. et ſequentes, ubi Vertumnus noſter morbos, peſtes, maximè verò peſtiferos Euri flatus à Britanniâ noſtrâ deprecatur.

Glau-

Glaucum, & arundineos crines, & fluminis alveum,
Et quas præbet opes, vehit & quas mille carinas.
Claudere ſacrilegus quin cogitat oſtia præſes,
Æſtas ſi fuerit, Tameſina hoſtilibus armis,
Si tempus brumale, gelu: Plutóque verendam
Heu! lacerare urbem fas eſt, & mercibus omnes
Advectis ſpoliare, & magnas ſiſtere naves.
Ni faciat, jam dives opum, quas ipſe timeret,
Noſtra foret ſine fraude, malo ſine numine, tellus.
Intereà, luxu dum marcet curia patrum,
Plectuntur pia plebs; & ab omni parte Britannos
Vel decies victæ gentes impune laceſſunt,
Hiſpani imbelles hinc arma aliena moventes,
Inde triumphati Galli. Sua litora cives,

¥ 443. SI TEMPUS BRUMALE GELU] Pluti dominatio cùm inſigni turpitudine et omnium ſcelerum maculis, tum inſolitâ cœli intemperie et annorum infœcunditate fuit notata. Quanta verò hominum multitudo anno 1739 & 1740 fame et frigore periit! Atque hinc forſitan in boves ſunt derivatæ clades, quibus agri noſtri etiam hodie obruuntur.

Arva,

Arva, domos, merces, aras defendere quærant,
Armatíque adſint ultro; revocantur ab armis
Infando Pluti juſſu. Germanica rura
Sic cùm vaſtat aper, (vos meſſes flete, coloni,
Fruſtrà expectatas) non hunc violare licebit
Privatis manibus, plebeio aut figere telo.
Terrarum dominis fera ſe peritura reſervat;
Præda nec eſt armis, nec mensâ indigna tyranni.

Jamque alacer cernit Plutus procumbere gentem
Inviſam; cernit divûm pereuntia dona,
Plebis opes, famámque novam; fore cunctáque ſperat
Irrita, fauſta nimis quæ ſpondent omina, ſi nunc
Finiat (& cœptos fervet finire) labores.
Neve operum conſors ſcelerûmque hortator abeſſet,

* 455. GERMANICA RURA] Legibus, aut edictis, aut principum voluntate, quæ pro legibus ſtat, in Germaniâ cautum eſt, nequis apros venetur, ſectetur aut turbet, niſi terrarum domini, principum filii, provinciarum præfecti, &c.

In

In ſocium legit incultum turpémque Cyclopa;
Quem vocat & fratrem: fratrémque agnoſcere poſſet,
Cui mores Stygii, divûm contemptus, & auri
Dira fames, ſempérque avidæ manus apta rapinæ.
Hic eſt, hic ille eſt, cujus nunc dicitur orbis
Librari ingenio; cui nunc ſua proſpera Plutus,
Cui rerum ſummam, cui ſe quoque tradit: &, omnis
Hic opifex infandi operis, celer itque redítque
Nuntius huc, illuc; & præmia magna reportat.
Sed majora petit. Reverentia nulla petendi,
Nec modus. Immenſo patet auri quicquid in orbe,
Quicquid in orbe latet, quodcunque æraria Pluti,
Vel Jovis arca tenet, non exſaturare Cyclopa

℣ 467. CYCLOPA] Vide p. 27. not. ad ℣. 51. Vide etiam p. 60. not. ad ℣. 140. ubi Cyclops iſte, Pluti frater, Venulus vocatur. Is quidem legatus miſſus eſt à Pluto de pace, de bello, de rebus maximis, magnâ cum auctoritate, ſemper autem magno cum civium noſtrorum damno. Animi enim erat ita ſordidi et verſuti, ut omnia ad utilitatem ſuam referret, et quaſcunque agebat partes, unum hoc quæreret, quid commodis ſuis eſſet aptiſſimum. De homine pauperrimo in tantas opes crevit, ut Britannorum ditiſſimus, quando hæc ſcribebam, exiſtimaretur.

Hunc

Hunc queat, hunc unum. Sed quanquam informis, avarus,
Ludibriúmque ſuis, risúſque ſit omnibus, ad quos
Mittitur: (ecquis enim potuit compeſcere riſum,
Indignans quamvìs, ſua cùm fabrilia temnit,
Séque ferus Cyclops deformans veſte nitenti
Vult modò legatus, modò vult orator haberi?)
Ah, tamen imperio eſt Pluti nimis utilis. Artes
Gentis in exitium damnoſas invenit: hoſtes
Provocat innumeros: ſocialia fœdera rumpit:
Inſtituit cenſum: auget vectigalia, triſti
Et quicquid vexet populum ſpoliétve rapinâ.
Sic pendet grates, & Pluto dona remittit:
Juſtáque ſic auri ſibi reddit pondera Plutus,
Queis modò tot comites, queis primos emerat aulæ,
Queis ſibi tot ſervos, queis primos emerat urbis,
Emerat uxores, picturas, ſcorta, clientes,

℣ 486. IMPERIO EST PLUTI NIMIS UTILIS] Cum Cyclope iſto omnia communicavit Plutus, atque ejus conſilio uſus eſt ad omnia, in quibus præcipuè noceret reipublicæ.

Rura, hortos, ædes, atque ipſa altaria divûm.
Non quia opes deſunt Pluto, quia deficit aurum
Factum, atque infectum: ſed quòd magis utile rebus
Tartareis eſſet, ſi gens, odioſa tyrannis,
Viribus ipſa ſuis pereat, populíque feroces,
Ad juga jam dociles, pauper plebecula fiant.
Heu, fiunt! Plutúſque ſuis jam parcit acervis,
Ditatus populi ſpoliis; turbæque Cyclopum
(Quo comites, gaudent empti quo nomine patres)
Direptas largitur opes, natíſque propinquíſque,
Et nequam famulis. In munera ſufficit aurum,
Inque epulas Pluto, quin ſufficit omnia, fiſcus.
Jamque, ſuâ Plutus quod vix ſperaret ab arte,
Victa malis ceſſat pietas, & ubique tacetur
Libertatis amor. Quis enim tua, diva, frequentat

✠ 496. ATQUE IPSA ALTARIA DIVUM] Quippe Pontifices, antiſtites, præſuléſque omnes ſe totos ad Pluti voluntatem nutúmque convertebant: etiam Pluti expectationem (qui homines! quàm perfidi!) finiſtrâ ſuâ diligentiâ vincebant.

Sacra? tuis meritos aris quis mandat honores?
Lecta manus juvenum tantùm comitúmque tuorum
Fida manet, ſempérque tibi qui ritè miniſtrant,
Phœbei vates: mœſto quos ore canentes
Ipſe equidem audieram, cùm, ſacra ex more parantes,
Atria, Libertas, ſubeunt tua: dúmque tropæis
Exultat Plutus, ſibi dum plaudítque, placétque
Informis Cyclops; dum nos, pia turba, fideles
Cogimur in lachrymas, (minuit tamen ira dolorem)
Talia converſos fundunt in carmina queſtus.
Dî, quibus eſt terram, nunc ſiqua eſt, cura tuendi,
Aſpicite afflictas urbes, & ſqualida rura,
Et maciem populi! veſtris ſi floruit unquam
Albion auſpiciis, ſi grata hæc inſula Phœbo,
Grata fuit Cereri ſedes; audite querelas,

℣ 514. PHOEBEI VATES] Qui iis temporibus laude ingenii præcipuè floruerunt poetæ, Swift, Pope, Gay, reipublicæ partibus, ac libertatis cauſæ ſemper favebant, et Archilochiis carminibus, quæ quidem populo erant jucundiſſima, diſtringebant Plutum et Plutonios omnes, præſules, ſenatores, milites, legatos, archimagiros, et totam Cyclopum familiam.

Et damnis miſeræ tandem ſuccurrite gentis.
Túque tuos nos, ô Libertas, reſpice vates;
Reſpice ſera tamen! temerata ulciſcere jura;
Atque tuis armis, liceat, tua regna fruantur!
Una ultrix nobis, una ultrix ſufficis orbi.
Sin nil vota juvant, pœnæ meritóque luendæ;
(Heu! luimus meritò) ſaltem commercia cœli,
Semideos, ædes, aras defendite veſtras.
Hæc etenim rapuit, qui poſſidet omnia, Cyclops.
Hæc etiam vendit, qui vendidit omnia, Cyclops.
Ecce, velut, quod nunc ſpernis, ſine nomine flumen,
Fonte cadens parvo, ſerpit per prata, per agros,
Víxque facit ſibi iter: mox auxiliaribus auctus
Nimbíſque aſſiduis, quos miſerat ira deorum,
Creſcit in immenſum, magníſque impellitur undis
Immanis torrens; hominéſque armentáque tota,
Et ſylvas, & tecta trahens, ſanctóſque Penates,
Gurgite cuncta ſuo mergit. Sic crevit ab aſſe;

Aut

Aut ſic, aut etiam crevit magìs ille nefandus,
Horridus ille Cyclops: ſic & ſua crimina creſcunt.
Quíque lares tenues, & jugera pauca colebat,
Furtorum adjutus ſociis, quorum evomit undam
Luxuriæ famoſa domus, Cræſíque Midæque
Æquat opes, animóque notat, quas devoret ultrà.
Sufficiúntque animo vires. Quodcunque cupivit,
Apta rapina fuit. Facilis Fortuna videtur
Vel tali ſervire viro: ſic omnia fiunt,
Quæ mandat fieri. Quid nos ingentia facta
Heroum, virtúſque juvant, anníque priores,
Aſſiduúſque labor populi, regéſque ducéſque?
Scilicet hic fudit Gallos, hic vicit Iberos,
Hic domuit Mauros, ut perfida turba Cyclopum
Victores ſpoliet? Mercator permeat Indos,
Æthiopúmve lacus, & inhoſpita littora tentat,

* 548. LUXURIÆ FAMOSA DOMUS] Domus, et ſuburbanæ Pluti villæ.

Ut

Ut gemmis, vaſtóque auri ſit pondere dives
Nempe Cyclops? Ideóne ſuos jam conſerit agros
Tityrus, ut gravidas poſſit præcidere meſſes,
Barbarus aut farris prædo populetur acervos,
Nempe Cyclops? Terram ſic profuit eſſe feracem!
At perit infelix Arctoo frigore nauta!
At perit infelix Cancri ſub ſidere miles!
Millia quot pereunt, ubi ſemper lethifer æſtus,
Sole ſub occiduo, ſcribatur ut omnibus hæres
Nempe Cyclops, patriæque malis inſultet, acerbæ
Stragis cauſa latens! Quid? denique Phoſphorus almum
Ipſe diem retegit, mox noctis nuntiat horas,

℣ 567. MILLIA QUOT PERE-UNT!] Poſtquam Plutus magnam pecuniam imperaverat claſſis nomine, & maximam claſſem ornaverat, eam petere jubet Americanas regiones, quæ ſub ditione ſunt Hiſpanorum, haud verò ad Hiſpanos hoſtes devincendos aut provocandos. Ubi enim perventum eſt ad loca, quæ **Baſtimentos** vocant Hiſpani, ibi claſſem ſtare jubet Plutus, uſque dum cœli intemperie et nimio ſolis ardore perierint quinque peritiſſimorum nautarum millia. Qui verò præfuit dux claſſi, vir ſanè fortiſſimus ac humaniſſimus, ita hâc injuriâ contumeliâque eſt affectus, ut neque corpus neque mens, quum claſſis eſſet reducenda, ei integra maneret.

Ut

Ut ſpoliis ſit plena domus funeſta Cyclopum,
Ut noſtro peſtes infernas inferat orbi?

Carmen finierant vates: cùm Plutus amictu
Purpureo indutus, longíſque monilibus, auróque
Intexto radians, & molli milite cinctus,
Et fratre immani, & turbâ comitante Cyclopum,
In tua, Libertas, (quò nunc ſpes impia mentem
Invitat Stygiam) fert greſſus templa profanos:
Sacráque mentitus, ſolitæque haud immemor artis,
Inceſſum fingítque gravem, vultúmque modeſtum,
Et genibus pronis, & falsâ voce precatur.
Tum magnos montes, divæ blanditus, & omnes
Quot Golconda parit gemmas, regúmque favorem,
Jura etiam, & veteres aris promittit honores;
Si modò virgo ſuos comites (corrumpere quorum

* 584. GOLCONDA] Regnum peninſulæ Indiæ intra Gangen; ubi unionum gemmarúmque pretioſiſſimarum ingens eſt copia: hodiè pars magni Mogolis imperii.

Ille

Ille animos tentat fruſtra) dimittat ab æde;
Conſiliúmque uni credat ſtudiúmque Cyclopi;
Omnia ſi credat. Quippe hunc facilémque bonúmque
Et lepidum; agmen iners illos & inutile dicit,
Difficiléſque viros. At quid, ſe præſide rerum,
Se duce, quid metuendum? iterátque precantia verba.
Aſt ubi nil agitur blandis precibúſve dolíſve:
Quum neque promiſſis, neque divam munere ſperet
Ullo poſſe capi, violentam accenſus in iram
Obruit adverſos omnes, & anhelus in altum
Aſcendit ſolium, quod tantùm inſiſtere fas eſt
Dîs ſuperis, Phœbíque choro, ſociíſque deorum.
Atque, ſuâ dum mole premit numénque locúmque,
In'que ſacra, in'que deos jactans convicia, vecors
Imperat è templo ſanctos excedere patres:
Vímque parat, ſi fortè aliquis fera juſſa recuſet.
His commota, truci Plutum rabidóſque Cyclopas,
Diſſimilíque fui, Libertas lumine ſpectans,

Uſque

Uſque adeóne audes? uſque urges numina cœli,
Fallere cùm nequeas, addíſque minacia verba?
Dixit: et horrendum ſonuerunt atria templi.
Tum Plutum ſceptro feriens (ſceptrúmque gerebat
Diva, Jovis donum) ſpeciem formámque removit
Humanam; & Stygios vultus & reddidit ora,
Immanéſque artus: quin verum denique Plutum,
Dum loquor, exhibuit populo, monſtrúmque, creârat
Quale Chaos quantúmque. Illum erubuiſſe Camœnæ
Tum primùm perhibent, propriámque odiſſe figuram.

✠ 608. TUM PLUTUM SCEPTRO FERIENS] Ita apud Miltonem noſtrum, cœleſti Ithurielis haſtâ percuſſo Satanæ ſua reddita eſt forma.



Gul.o Green Junr. Delin. P. Fourdrinier Sculp.

ANTONIETTI,

CORSORUM DUCIS,

EPISTOLA AD CORSOS,

De Rege eligendo.

Scripta est et edita anno MDCCXLIV.

Ænearum Tabularum

Explicatio.

I. In *hâc tabulâ regem ligneum conſpiciatis in regali ſuo ſolio ſive loculamento collocatum, et auro et purpurâ regificè ornatum; infrà autem Corſorum concilium magnum de ſummâ reipublicæ deliberans.*

II. In *hâc literâ initiali faber lignarius Corſorum regem fabricatur buxum artificiosè ſculpendo, et tornando.*

III. E *cælo demittitur hydrus, ſive ſerpens aquaticus, in paludem ranarum, regem denuo ab Jove flagitantium.*



Gal.^e Green Inv. Delin.

P. Fourdrinier Sculp.

ANTONIETTI EPISTOLA
AD
*CORSOS.

NOBILE ſi carmen mihi Muſæ,
quale Maroni,
Annuerent; aut, quæ ſibi poſcunt, grandia vates
Moliti, ingenii vires centenáque Phœbus

* Quæ ſit bellicoſiſſima illa Corſorum natio, jam nôrunt omnes; eique favent omnes, qui ſibi conſulunt, reipublicæ ſtudent, et colunt libertatem; omnes nimirùm, qui ſunt bonæ ac ſanæ mentis. Si tu, lector, es

Ora arguta daret; non magni Cæſaris arma,
Aut quæ Boiorum nudârunt prælia campos,
Gallorúmque acies, ingenti aperire ruinæ
Quæ loca cuncta parant; ſed nec victricia ſigna,
Auſtriacóſque duces, vicináque caſtra Philippi,
Magnáque per pelagum vecturos bella Britannos
Jam canere inciperem; ſed facta et fata meorum.
Vóſque pii cives, vos, fortia pectora, Corſi,
Servitiúmque pati indociles, fidóſque Penates
Certè equidem laudarem ultrò; pueróſque ſenéſque,

ex iis, ſi Britannus homo es, ſi vir es; totum hujus fabulæ argumentum tibi ſatìs placebit. Et hercle, quamvìs Antoniettum iſtum putâris (quod ſanè nollem) eſſe infra omnes malos poetas; haud tamen potes facere, quin hominis in patriam pietatem rectè perſpicias, ac mihi aſſentiaris eum eſſe civem bonum, haud ſcio an optimum. Sin autem hæc narrantur ſurdo, aut tu is es, qui exterorum causâ velis omnia, abeas hinc ad populos iſtos, qui, iracundum Jovem nequicquam deprecati, ditioni ac poteſtati regum hydrorum permittuntur.

✱ 4. CÆSARIS] Caroli VII. Bavariæ Electoris, qui, poſtquam auxiliariâ Gallorum acie Cæſariæ majeſtatis titulum obtinuit, atrociſſimam calamitatem patriæ intulit. Vidit enim magno cum ſuo dolore feraces Boiorum agros et florentiſſimas urbes cædibus, rapinis, populationibúſque deformatos.

✱ 8. PHILIPPI] Hiſpanorum regis.

Qui

Qui nunc pro patriâ pugnant, galeíſque cucullos
Mutantes monachos. At tantis deficit impar
Ingenium; atque, ars ſiqua olim mihi carminis eſſet,
Abſtulit hanc ætas. Patriæ tamen utile quod ſit,
Non unquam oblitus, mea geſtio tradere vobis
Experiens præcepta ſenex. Loca multa pererrans
Multorum potui mores inquirere regum,
Et ſtudia, et plebis ſortem, duróſque labores.
At vos ſi doceam, nunc quâ ratione decenni
Libertas bello per tanta pericula parta,
Sanguinis et tantum, res veſtras adjuvet ultrà,
Figat et heic ſedem, ſeríſque nepotibus adſit;
Credite me ſacrum vatem; mea carmina, Corſi,
Culta parum quamvìs, oracula credite divûm.

¥ 14. GALEISQUE CUCULLOS —— MUTANTES MONACHOS] Tantum erat libertatis conſervandæ ſtudium, ut monachi etiam arma caperent, et milites in aciem excirent. Valdè ſuſpicor Antoniettum meum monachum fuiſſe.

Quid

Quid nos Germanus, quid bellis Gallicus hoſtis,
Infidos Ligures non dedignatus amicos,
Alternis vexat? Gens neſcia cedere damnis
Stat noſtra; heroum virtute ſtat inſula fulta;
Stat titulis ornata ſuis, et nomine regni.
Nomine nec careat tanto; nec demat honorem
Hunc populi vox cauta nimis, neque vana periĉla.
Dum dubitatis enim, quoniam Theodorus in oras
Ignotas abiit, quis debeat eſſe futurus,
Et qualis rector Cyrnæus; ſi mea vota
Dictáque quid valeant, gentis de more vetuſto

℣ 28. QUID NOS GERMANUS &c.] Paucis abhinc annis cùm Germanorum, tum Gallorum exercitus Corſicam intrârunt, haud ſcio an ſalvâ ſuâ gloriâ. Vide Sermon. Ped. not. ad ℣ 55.

℣ 32. STAT TITULIS ORNATA &c.] Titulo et regni nomine hodie ſuperbit Corſica. Inſula hæc primùm Tuſcorum imperium accepit, deinde Carthaginenſium, deinde Romanorum, deinde Saracenorum; poſtremò Genuenſibus ceſſit, mox ad alios dominos tranſitura.

℣ 35. THEODORUS] Baro de Neuhoff, natione Germanus, rex aliquando Corſorum, atque ad id munus univerſis populi ſuffragiis electus. Nunc verò, neſcio quo malo fato, Theodorus ille regno ſuo ſe abdicavit. Vide Sermon. Ped. Not. ad ℣ 55.

Rex

Rex erit; at ſanctâ rex majeſtate verendus.
Qui Veneri imbelles noctes donare recuſet,
Ignavóſque dies Baccho: qui extendere fines
Imperii nolit, bellum meditatus iniquum.
Nec plebis miſeræ ſpoliis æraria cujus
(Si qua futura illi fuerint æraria) creſcant.
Qui frugi et felix, antiquâ ſtirpe creatus,
Natalíque ſolo gaudens, haud lædere quemquam
Immitis cupiat; nequeat ſed lædere quemquam.
Nève ſuos mendax populos, nec perfidus hoſtes
Rex fallat noſter: nam reges, fallere doctos,
(Pace, ô ſceptrigeri, liceat mihi dicere veſtrâ)
Qui nil turpe putant, vidi; qui, fáſque fidémque

✱51. QUI FASque FIDEMque &c.] Si mercatores noſtri et negotiatores Londinenſes eadem facerent ac maximi et potentiſſimi reges, ſi fœdera et fidem violarent, ſi judicia et mortuorum teſtamenta reſcinderent, ſi vicinorum opes diriperent, ſi propinquos ac liberos odio haberent, ſi denique, quibus maxima beneficia debent, eos ſummis injuriis afficerent, quid obſecro, exiſtimandum eſſet de iſtiuſmodi hominibus? Nonne publica vox civitatis eos deteſtabiles eſſe judicaret, damnaret, ejiceret?

Pac-

Pactúmque haud unquam dubitantes rumpere fœdus,
Juratos ſprevere deos. Formoſior alter
Prætereà rex hôc, quem nunc excogito, nuſquam
Inveniendus erit; formoſum effingere regem
Si faber Alcimedon nôrit, lignúmque polire.
Egregiè ſed enim novit. Divinior ille
Nec fuit Alcimedon, multâ paſtoribus olim
Arte opus ornatum, qui pocula fagina fecit;
Arte opus ornatúmque tuâ, divine poeta.
At vos, ô cives, dum dædala prodit imago,
Dicite gratantes, Rex nobis ligneus eſto!
Sylvicolæ acclament, Rex nobis ligneus eſto!
Sed tamen ex quôvis (fieri ſi rite jubetis)
Rex ligno non fit. Genus eſt, quod, raſile quamvìs
Sit facili torno, vultus haud induet aptos

℣ 56. ALCIMEDON] Corſus, fabrûm præfectus, ſculptor egregius, æquè ac miles fortiſſimus. *Et nomen hoc quidem*, inquit Ruæus, *aptius eſt heroi, quàm ſculptori.*

℣ 57. DIVINIOR ILLE——NEC FUIT ALCIMEDON &c.] Vide Virgil. Ecl. 3. ℣. 37. & ſequentes.

Regiáque

Regiáque ora; aut magnæ unquam foret utile genti.
Montibus in veſtris ſtat plurima quercus et ilex:
Intactæ ſtent uſque licet: de ſemine natus
Ne Dodonæo rex ſit, querulúſque loquáxque,
Et vivo ſimilis: duo tantùm verba loquatur,
Sic JUBEO, ô cives, actum eſt: periiſtis inulti.
Quid, quòd et in ſacrâ poſuerunt ilice ſedes
Sæpè ſuas nymphæ? Sæpè et, cùm cæditur ilex,
Numen Hamadryadis læſum eſt: at numine læſo,
Ominibúſque malis, quænam eſt tam barbara, regem
Ut ſibi gens optet? Vos porrò à rege cavete
Iligno, ne ſtirpe genus deducat ab iſtâ,
Trojano Æneæ quæ ramum detulit auri.
Olli ſemper enim vis certè antiqua manebit:
Et quamvìs ſit truncus iners, ſe veſtiet auro,

℣ 70. DODONÆO] In Dodonæâ Epiri ſylvâ quercus inter ſe loquebantur. Vide not. ad ℣. 8. Scamni.

℣ 75. HAMADRYADIS] Hamadryades ſunt nymphæ, quæ præſunt quercubus, quibuſcum ſimul naſcuntur, et intereunt.

℣ 78. NE STIRPE GENUS DEDUCAT &c.] Vide Æneid. L. 6. ℣. 208.

Corſorum ſpoliis. Nonne hoc Germania tota,
Gallorúmque urbes, et nudus plorat Iberus?

At mihi (quippe ſenex, videar ne longior æquo)
Dicite, Pierides; vel noſtro denique fabro
Dicite, quid faciat regem, Cyrnæa tenere
Regna diu, et veſtro laudari carmine dignum.
Quin age, docte faber, lætúſque accingere molis
Tantæ operi; ac, primùm Sylvanum et Oreadas omnes
Ritè precatus, adi montes Cyrnæáque ſaxa;
Atque aptam nemore in denſo tibi felige buxum
Et bello et paci, facilémque in corpora verti.
Vertatur. Regíque huic Corſica pareat uni.
Sic animum et vires, ſic et ſua jura decúſque,
Sic, quæ præcipuè eſt vobis pia cura, ſalutem
Firmabit populus: ſic et ſua rura coloni,

✱ 86. CYRNÆA] Corſica olim appellata eſt Cyrnus.

✱ 90. MONTES] Montes Corſicæ ſunt ſaxoſi et ſylvoſi, buxis grandævis conſiti.

Sic

Sic Fauni ſylvas, ſic et ſua litora nautæ,
Et ſibi grandævi ſervabunt otia vates.

Cauſa quoque eſt, buxo cur ſint hæc debita regna,
Regia progenies. Toto jam notus in orbe,
Buxeus, en, extat regum pulcherrimus ordo,
Non ulli inviſus: nec regia nomina buxi,
Nec poterit livor famam delere futuram,
Seriadis nymphæ dum ludicra Scacchidis arma,
Síntque in honore artes, et culti carmina Vidæ.
En quoque, magnificis quæ nunc tot præſidet aris,
Gemmíſque Eois inſigni vincta coronâ;
Quæ ſydus terræ, cœli regina vocatur,
Sæpiùs ex buxo fabri fecere Mariam.

℣ 100. TOTO JAM NOTUS &c.] Vide Hyeronymi Vidæ carmen, quod inſcribitur, Scacchia, Ludus; The Game of Cheſs. Ubi rex et regina ex buxo affabrè facti ſunt, et benè tornati.

℣ 109. MARIAM] Simulachra ſunt quamplurima B. M. V. de ligno facta, ſed regales auratáſque veſtes indutâ. Illud verò in urbe Laureto (Loretto) ita ornatum eſt et oneratum gemmis et margaritis pretioſiſſimis, ut regis Perſarum opes una hæc lignea virgo æquare videatur.

Et facient. Nec tu tibi ſemper, Corſe, colendæ
Auſus eris regem quemquam præferre Mariæ;
Vix ſuperûm quemquam: laus tanta & gloria buxo!

At ſimul egreſſus ſylvis, formámque virilem
Buxeus accepit truncus; regémque probârunt
Dî patrii, atque piæ ſuffragia libera plebis;
Marmoreas ædes, ac tanto principe dignas,
Et ſceptrum et ſolium (poſtquam hæc fabricaverit idem
Alcimedon, et, quâ rex eſt fabricatus, eâdem
Materiâ) læti donabimus. Ipſe ſedebit
Purpuream indutus pallam; ſed tempora cinget
Aut edera aut laurus, doctorum præmia vatum,
Et veterum heroum, frugíque aptiſſima regi.
Quem niſi perjuri cives, niſi fulminis ictus,
Aut ſubitæ tulerint flammæ, decor integer illi

℣ 120. SED TEMPORA CINGET, &c.] In cœtu et concilio optimatum diademate, quod infigne, antiquo more, regibus imponitur, ornari debet, aliâs verò coronâ laureâ, aut hederaceâ.

Gloriá-

Gloriáque, et ſolidæ ſtabunt per ſæcula vires.

Jamque viri pietate graves, queis publica cordi
Commoda ſunt, proceres centum patréſque legantur.
His populi credenda ſalus; his templa deorum:
Hos penes arbitrium ſit belli et pacis: iniquos
Hi pellant Ligurum ſocios: reſponſa ſuperbis
Hi dent legatis; dent nobis jura: miniſtros
Hos, plebi fidos, hos ſolos noverit aula;
Hoſce magiſtratus urbes; hos caſtra tribunos.
Vos, tamen in medium quoties, proceréſque patréſque,
Conſulitis; felix vobis rex buxeus adſit:
Præſide quo rerum, quo fiant omnia coram.
Munera ſic Veneti, quibus et prudentia ſumma,

✝ 130. LIGURUM SOCIOS] Germanos, Gallos, Hiſpanos, aut quicunque cum Liguribus ſive Genuenſibus faciunt contra Corſos.

✝ 137. MUNERA SIC VENETI &c.] Apud Venetos auctoritas omnis eſt penes Senatum, vel majora concilia. Dux Venetorum [the Doge] nihil per ſe facere poteſt; ſit vir quamvis, qualis is eſt, qui hodie Venetorum reipublicæ præſidet, ſummâ virtute ac prudentiâ.

Et

Et ſtabile imperium eſt, implent ſua. Ligneus illis
Rector, vel ſimilis ligno: gravitate verendus
Qui tamen Auguſtâ regales poſſidet arces.
Hunc fovet et Tethys, hunc et nova nupta quotannis
Æquoris Adriaci ditat dotalibus undis.
Qui, cùm dedidicit ſermone et viribus uti
Conſiliiſque ſuis, malè nil, nil fecit ineptè.
Nil ſibi libertas metuit: parvíque Penates
En, Vaticani contemnunt numinis iram.
At, nullius egens ultoris, buxeus ille
Semper, ut officium faciat, ſpectetur inermis:
Atque armata manus procul hinc, procul abſit ab aulâ,

℣ 141. HUNC FOVET ET TETHYS &c.] Dux Venetorum nuptum ſibi dat quotannis mare Adriaticum, aureum annulum, ex more antiquo ac ſolenni, mari donando: unde imperium, in hunc Adriaticum ſinum accipit. Hujuſcemodi, puto, ſive ſponſalia ſive nuptiæ firmæ ſint fortaſſe, ſi nulla eſt cauſa futura, cur ad eas diſturbandas naviget Britannorum claſſis.

℣ 146. EN VATICANI &c.] Paulus V. Venetos excommunicavit anno 1605, Leonardo Donato duce. Veneti Vaticanum fulmen irriſerunt, id brutum fulmen appellantes, et ſacra peragi juſſerunt more ſolito. Papa tandem eos abſolvere, et, quod arroganter contra rempublicam decreverat, cum dedecore et ignominiâ tollere coactus eſt.

Si

Si Ligur omnis abeſt! Quiſquis peditúmque catervis
Et turmis equitum ſtat cinctus, et ipſe, coruſcans
Telum, bella tonat, cùm non metus ullus ab hoſte;
Is ſperat terrere ſuos, avidámque rapinam
Cogitat. A nobis dî talem avertite regem!
Una quidem domino Corſorum, milite major
Omni, Naïadum lectiſſima nympha miniſtret:
Sedulitas cui ſit, cui ſit pietáſque fidéſque;
Mundáque cui noſtri ſit ſemper cura Quirini:
Ut neque regales cultus, neque pulvere mites
Fœdentur vultus; capiti neque ſtamina nectat,
Improba ſub mento vel texat aranea telam.
Ullane erit pellex, regina vel aptior ulla
Huic operi, aut tali Cyrnæâ hâc Naiade regi?
Et me dum memorant, (et in hôc ſi glorior, æquum eſt:

℣ 155. UNA QUIDEM &c.] Omnia ſunt metuenda à regni præſide ſive regis vicario, quiſquis ille erit, cujus dominatio, ut magis eſt ignominioſa, quàm ipſius regis, ita quidem ſemper eſt ſuperbior, immanior, crudelior: verùm ſub rege pio ſeu ligneo immaniſſima et crudeliſſima, teſte Coſcia, imperante Benedicto XIII.

Uni

165 Uni debetur cui regum ligneus ordo)

Te quoque, nympha, canant Muſæ; ſtudiúmque, tuúmque
(Seu Pholoe, ſeu Phyllis, ames ſeu Niſa vocari)
Annales noſtri celebrent per ſecula nomen.

Jamque duci, cives, vatíque ignoſcite veſtro;
170 Si vos, dum vario conor ſermone placere,
Uſque eadem moneo. Nam fabula ſeu ſit anilis,
Sive meus ſermo, aut faciles narrare Camœnæ
Quicquid ament, mihi ſeſe ultro rex ligneus offert;
Libertáſque adſtat ſacri ſub imagine regis.
175 Et certè ſacer eſt hic, quem venientia ſæcla,
Dum facta, et vitam laudant, moréſque pudicos,
Delapſum cœlo credent: id ſuadeat ipſa
Et res, et mite imperium. Quin novimus, et qui
Informes trunci, nullâque ex parte figuram
180 Induti humanam, licuit ſi nomina regum
Sumere, vel placidi munus Jovis eſſe putantur:

Eſſe

Eſſe Jovis, docuit comis ſapientia Phædri.

Ranarum proceres veniunt ad limina cœli
Orantes, Nobis rex ſit dimiſſus ab alto;
Qui loca ranarum nôrit, qui ſtagna lacúſque
Imperio regere, et populi compeſcere mores.
Si rex eſt apibus, gaudétque oſtendere parva
Sceptrigerum Monaœda ſuum; ſibi poſcere regem
Cur pudeat ranas? Generis quoque nobilis auctor
Sol fuit auricomus: ranæque animalia cantu
Cætera dulciſono vincunt, viréſque modóſque

℣ 183. RANARUM.] Vide Phædri fabulam de *Ranis regem poſtulantibus.*

℣ 187. SI REX EST APIBUS] Rerum naturalium inveſtigatores jamdudum nos docuerunt omnes apum gentes eſſe Amazonias, et Amazonio ritu gubernari, reginæ ſcilicet curâ et conſilio. Vide ℣. 43, et ſeq. Miltonis epiſtolæ. Florentiſſimæ hercle eſſent eæ regiones civitatéſque, quæ ejuſmodi gubernatricibus uterentur.

℣ 188. MONAOEDA] Sive Mona (Man) inſula Anglico litori appoſita ab occaſu, melioris cœli, quàm ſoli: quam quidem inſulam ab omni tempore reges habuere. Atque, ut regni nomine gaudet Monaœda, ſic et æquis legibus et imperio mitiſſimo.

℣ 189. GENERIS QUOQUE &c.] Ranas è limo Nili formatas, et calore ſolis vitaliter animatas fuiſſe fingunt veteres.

Nominâque à nobis ſumit comœdia priſca,
Ranarúmque choro Muſarum munere fungi,
Et populo plaudente, datur: ſed et inclyta bello
Gens eſt; quod magni teſtatur carmen Homeri,
Dî quoque, qui ranis aderant. Ingentia verba
Riſerunt ſuperi, risítque Dieſpiter ipſe,
Annuit hiſce tamen. Tignum dimittit Olympo,
Tignum immane, decus ranis regémque futurum.
Atra palus ſtrepitu, ſimul ac nova pondera ſentit,
Et reſonat percuſſa, ſuas miratur et undas.
Horrendum virides regem ſtagníque tremiſcunt
Emoti faciem populi, cursúmque pudendum
Cuncti præcipitant, gens totáque mergitur imo.
At fragor ut cecidit, ſua aquis et reddita forma eſt,
Státque immota palus, caput en Phyſignathus effert,

℣ 192. COMOEDIA PRISCA] Comœdia ſcilicet Ariſtophanis, cui nomen ΒΑΤΡΑΧΟΙ (Ranæ) ubi poeta ranarum choros joculariter inſtaurat, quæ ſuo more cantitant, Βρεκεκεκὲξ, κοὰξ, κοὰξ.

℣ 195. INCLYTA BELLO] Vide Homeri Batrachomyomachiam.

℣ 206. PHYSIGNATHUS] In Batrachomyomachiâ Phyſignathus dicitur rex ranarum.

(Ranarum

(Ranarum ductor, præclari nominis hæres)
Et regem haud temerè explorat. Deinde evocat omnes;
Atque docet, qualis rex ſit, quâque arbore natus.
Fit fremitus: rident, contemnunt munera divûm,
Et regi inſiliunt; mox et convicia fundunt,
Et turpant, quà quiſque poteſt. Jamque advenit alter,
Ranarúmque iterum memorat viréſque genúſque,
Ab Jove dum regem, ſed quem non ſpernere fas ſit,
Flagitat orator. Mittit pater optimus hydrum
Ingratis. Furit immanis, ſævítque tyrannus:
Antra, domos populat; pubem matréſque patréſque
Corripit, hos, illos; laniatáque viſcera paſtus
Corripit hos alios, proceres, ignobile vulgus,
Legatóſque ipſos, habitant quicunque paludem.
Cunctos quippe ſibi natos, quibus imperat, uni
Dicit, et ad prædam cunctos ſibi deſtinat uni.
Nulla ſalus: fruſtrà properant ſeſe abdere limo

Stagnicolæ: fruſtrà, rex ut ſibi ligneus adſit,
Nunc optant, orantque Jovem. Nam orantibus ille
Hæc reſponſa dedit; Cœleſti indigna favore,
Humanæ ſimilis, gens vana, et neſcia reges
Ferre bonos, diſcat jam ſævos ferre tyrannos.

¥ 225. STAGNICOLÆ] Verbum fortaſſe à Baptiſta Mantuano excogitatum.

ANTONIETTUS

CLARISSIMO * PASQUILLO,

ROMANO CENSORI.

QUandoquidem, clariſſime Paſquille, nemo meliùs, quàm tute, regibus uti novit, cúmque de illis ſatìs et jam diu tibi explorata ſunt ſua omnia, ſtudia, conſilia, mores, faſtus; bonâ veniâ abs te peto, uti me, et carmen hoc meum tibi commendatiſſimum habeas, ſimul et dignitatem eximii il-

* Paſquillus, ſeu Paſquinus, Italicè Paſquino, nomen ſtatuæ mutilatæ in urbe Româ, cui affigi ſolent verſus atellanici, ſatiræ breves, epigrammata et dicteria procaciora in pontifices, reges, principes, cardinales et magiſtratus, quorum vita et mores odio et opprobriis ſunt digna; digna et quæ ſtigmate quodam notentur. Hæc ſtatua nomen ſumit à cerdone quodam Romano, viro lepidiſſimo et

cive

lius regis, quem bellè quidem ac diligenter hodie excogitavi ad uſum civium meorum. Quod autem, quò magìs gaudeam artificio meo, effecit, quum convocato in concilium populo alii alium regem vellent, alii neminem ſe paſſuros regnare dicerent, ita ſedavit omnium animos epiſtola ea numeroſa, ut uno ore conſenſum eſt in ligneum meum. Neque autem vereor, ne me jactantiorem putes, ſi ejus apud te prædicator ſim beneficii, cujus auctor planè fui, et quo firmiſſimum civibus meis jam paratur libertatis præſidium. At hercle verò dubium eſt, quoniam tu quidem homo es elegantior, ut ſis æquiſſimus æſtimator regis lignei; quem malles fortaſſe aureum, aut marmoreum, modò factus ſit de marmore Ægyptiaco, et arte Phidiacâ politus. Sed de his omnibus tibi paratiſſimè reſpondeo. Haud facilè aurum, ſi totum noſtrum conferatur, quod per hanc inſulam poteſt inveniri, (nobis honori ſit paupertas noſtra) ſufficiat ad effingendum eum regem, qui ſit ſatìs commodâ ſtaturâ et procero corpore, quali Corſorum principem eſſe oportet. At quid ſi pontifex maximus, penes quem eſt ſummà rerum, quíque reges donat gentibus, et aufert, redonátque, aut hortatu tuo, aut pro ſuâ animi magnitudine nos rege aureo donandos eſſe judicaverit? Ne hoc quidem nobis erit gratum. Quid enim aliud hoc eſt, quàm

cive optimo; qui in eodem vico olim habitabat. Felix Paſquille! Cujus memoriam cives tui conſervant, conſecrant, immortalem reddunt, cùm tot Cæſares, tótque pontifices ſuos malint quidem obliviſci.

N. B. Hanc alteram Antonietti epiſtolam carmini ſuo adjungendam putavi, quippe quæ Corſi noſtri conſilium, prudentiæ et fidelitatis plenum, fuſiùs exponit.

fere-

ſereniſſimum noſtrum principem fratribus ſuis, regibus ſanè potentioribus, heroibus et archipiratis proponere ad prædam? At neque profectò opinioni noſtræ, aut expectationi ſatisfaceret rex marmoreus, (ſed neque rex ex quôvis alio lapidis genere formatus, aut ex metallo quôvis) politiſſimus licet et affabrè factus. Quippe qui, propter gravè membrorum pondus in eodem ſemper juſſus manere loco, neque exercitui poſſet præeſſe, neque ſenatui, neque identidem adeſſe, quò res vocaret et dignitas ſua: cùm facile fit huic ligneo, ut conſcendat vehiculum, aut equo geſtetur, aut feratur lecticâ, modò in curiâ, modò in caſtris ſpectandus; atque urbes, rura, montes, litora, totam denique peragrans inſulam, negotia reipublicæ diligentiùs curet. Nunc verò, tametſi neque nos aurum, neque argentum à * Benedicto veſtro petimus; petimus tamen cupidiſſimè, uti hanc electionem noſtram et conſilium ille ſententiâ ſuâ laudet, comprobétque. Proin tu, cenſor lepidiſſime, qui aptè et præclarè potes omnia eloqui cum omnibus, benevolè elabora, et tuâ operâ vel eblandiendo effice, vel minitando, ut ſummo pontifici rex Corſorum ſit probatiſſimus, et imperatoriis titulis et filiatione perhonorificâ augeatur. Haud ferè quiſquam ex beatiſſimi patris filiis reperietur, (hoc fide meâ ſpondeo) ſive reges ſunt, ſive reguli, ſeu quicun-

* Benedicto XIV. ſummo pontifice, qui quum ipſe canonizandi artibus eſt præcipuè eruditus, neminem quemquam in divorum numerum referre ſolet, aut cœlo beare, niſi qui ſit cœlo dignus: quamplurimos etiam divos obſcuriores aut obſoletiores auctoritate ſuâ è cœlo nuper abſtulit, atque ex faſtis Romanis evulſit, ne diebus feſtis aut nimis oneretur calendarium, aut divis creandis nihil ſit loci relictum.

que

que baſilicum hodie tenent ſtatum, qui eum magìs lubenter omni obſequio et obſervantiâ colat, quàm hìc ligneus noſter; quem quidem ſpero, et confido poſt centum annos canonizandum fore; ſi tum canonizari eos oportebit, qui benè et rectè vixerint, labe omni carentes. Hæc nos ad te ſcripſiſſe, illuſtriſſime Paſquille, nequaquam ſtomachabere, cùm benè tibi ſit cognitum, quæ tua eſt ſagacitas in his rebus, quamobrem contendamus aliquod à vobis aptè et honorificè decernendum de præſtantiſſimo hôc noſtro rege; cujus fine auſpiciis tot annorum bella, pugnæ, victoriæ parùm hercle nobis proderunt. Etenim hic eſt, qui unus ſufficit ſanandis inſulæ vulneribus, et tuendæ libertati: libertati, cujus jucunditates, ſuavitates, venuſtates haud ingenti tuo ingenio tu quidem poſſis complecti: in quâ omnia noſtra eſſe poſita, exiſtimationem, dignitatem, ſalutem, fortunas noſtras, vitámque ipſam nos putamus, et tu, velim, putes. Sic vivas uſque, et floreas deliciæ populi Romani, et bonorum omnium!



Gul.s Groen Jun. Delin. *P. Fourdrinier Sculp.*

HYDRA.

SCRIPTA EST HÆC SATIRA ANNO MDCCXLVI,

ANTEHAC NUNQUAM EDITA.

ÆNEARUM TABULARUM

Explicatio.

I. TABULAM *per hanc, ſive figuram hieroglyphicam exprimere volui, et oſtendere nocentiſſimos civium noſtrorum mores, numeroſas ac deteſtabiles eas reipublicæ peſtes, quæ quidem, quicquid conatur, et ſuis mandat* Britannia *omnino proſterni, vix mehercule pauliſper reprimi nequeunt. Quippe alio* Hydræ *capite, id eſt, alio malo exciſo, aliud continuò renaſcitur. Procul cernitur nequitiæ et largitionum officina.*


II. TABULA *in hâc, literâ ſcilicet initiali, affert Mercurius ſaccum auri plenum, appenſamque ex eo corollam, ſed neque civicam, neque navalem, neque omninò ullius virtutis præmium, cuidam ex ſenatoribus noſtris, olim viro glorioſiſſimo. Is verò quid nunc ſit hominis, nôrunt omnes, et annales noſtri poſteros docebunt.*

III. TABULA *in hâc, nimirùm in harâ ſuâ, conſpicitur antiſtes quidam Hybernicus, ſacerdotum Hybernicorum aliquando princeps, qui porcellas, ut jucundiſſimè ſaperent, et ſucci dulcioris eſſent plenæ, lacte novo veſcendas curabat, quo tempore homines permulti in eâ regione, proximi etiam vicini, propter ſummam ſuam inopiam, aut cæli intemperiem, fame laborabant. Veram hanc fabulam, quum ſit res notiſſima et pervulgata, carmini meo inſerendam judicavi.*



Gul: Green Juv. Delin. P. Fourdrinier Sculp.

HYDRA.



EMPER ego ſatiræ ſcriptor?
Sic omina noſtros
Significant nondum pacatos læva
Penates?
Præparat et terris infauſtum Ju-
piter annum?
Queis agimur fatis! Cùm pulſum dedecus omne,

¶ 1. SEMPER EGO SATIRÆ SCRIPTOR?] Quicunque artibus ingenuis eſt inſtructus, et in civitate liberâ diu vixit, ſanè hercle ei grave eſt et difficile ſatiram non ſcribere, quum adeò ſunt civium corrupti mores, ut optimas haſce artes brevi perituras, et libertatem

Ac priſcas patriæ vires rediiſſe putabam;
En, malè ſancitum rumpit diſcordia fœdus,
Ménſque hominum perverſa iterum fert omnia retrò.
En, ſeſe vendunt cives, non turba Cyclopum,
Non Pluti comites; ſed quos laudavimus ipſi,
Noſtráque quos gremio fovit dea, fovit Apollo.
Quid mala, quid prodeſt toties hæc omnia vates
Prædixiſſe tuos, Libertas? Carmina nulla,
Nulla Sibylla viros moneat, non Delphica Pytho,
Quos prava ambitio vexat, quos dirus habendi
Urget amor, ſplendórque trahit prædivitis aulæ.

ipſam jam evertendam arbitretur. Quinimo talem ſcriptorem, animúmque talem boni omnes debent amplecti, cùm hujuſcemodi ſcripta ſint, neceſſe eſt, pietatis indicia et admonitiones officii.

✱ 8. EN SESE VENDUNT CIVES, &c.] Quibus cùm fortuna, fugato Pluto, omnia dediſſet, et jam reſtituendam eſſe rempublicam arbitraremur, quæ primùm ſimulationes! tergiverſationes! procraſtinationes! Deinde verò hi tam magni promiſſores, tam magni judicii homines, patriæque ſanè olim amantiſſimi, repentè à ſeipſis deſciverunt; nóſque de ſtabiliendâ libertate cogitantes in Græcas calendas rejecti ſumus.

✱ 10. FOVIT DEA] Scilicet Libertas.

✱ 16. CAROLE] Hic eſt vir illuſtriſſimus, nobiliſſimúſque princeps CAROLUS NOEL SOMERSET, dux de

Sed tamen ô quantas meruiſti, Carole, laudes?
Quàm benè de patriâ? quem raptì polluit auri
Non unquam tactus; qui ſpernis munera regum,
Muneribus divûm fretus: nam dii tibi come
Ingenium, dignos et honeſto pectore mores,
Et firmam mentem dederunt. Hinc mollis Acanthus,
Belliger Automedon, et Sergius alter et alter,
Atque levis Triton, cui nunc malè creditur æquor,
Quàm tibi diſſimiles! qui claro ſanguine creti
Res licet oſtentent amplas, villáſque domóſque,
Serviles tamen uſque notas haud ferre recuſant,
Turpiter ut domini ſibi poſcant dona ſuperbi.

Me teneam? aut meritò mihi quis ſuccenſeat, illis
Si quos prætulerim fabros, ſeu pharmacopolas,

de Beaufort, qui quum vix quemquam habet generis et honoris gradu ſuperiorem, tum virtutis, conſtantiæ, integritatiſque vitæ neminem.

* 21, 22, 23. ACANTHUS, AUTOMEDON, SERGIUS, TRITON]. Viri ſanè nobiles, quorum vera nomina proferam, ubi tempus erit, et meo commodo fiet.

Sutorúmve manus, ſeu quos de fæce popelli?
Hiſtorias omnes, faſtóſque evolve Britannos,
Aut magno Harlæus quæcunque volumina ſumptu
Emerat, ac parvo quæ dives vendidit hæres;
Aut, ubi multa latent, retegantur ſcrinia, lautas
Quæ Spenceri ornant ædes, intacta ſupellex;
Patricios tales tibi prodant tempora nulla,
Heu, tot degeneres animos! Proavóſque deóſque
Deſeruiſſe parum eſt: en, qui metuiſſe videntur,
Ne patria infelix, aliíſque auctoribus alma
Libertas pereat. Quid? quum ſint moribus iſtis,
Nobile quos calcar, quos, rectæ præmia mentis,

℣ 32. AUT MAGNO HARLÆUS, &c.] Duo HARLÆI, pater ac filius, comites de **Oxford** et **Mortimer**, liberalium artium aſſidui cultores, ingentem bibliothecam inſtruxerunt, undique conquiſitis libris. Sed præclaram hanc bibliothecam, poſt obitum eorum hæredes proſcripſerunt, et vendiderunt.

℣ 35. QUÆ SPENCERI, &c.] CAROLUS SPENCER, comes de **Sunderland**, diligentiſſimus erat librorum collector, et bibliothecam domi adornavit tum copiâ, tum delectu librorum inſignem. Nuper verò celeberrima hæc bibliotheca tranſlata eſt, et collocata in magnificis iis ædibus, ſeu villâ, quæ Blenhemium vocatur; ubi ſanè videtur adſervari non tam ad uſum hominum noſtrorum, aut poſterorum, (ſit venia dictis) quàm ad ſplendorem, ambitionem, oſtentationem.

Gloria

Gloriâ nulla trahat, retrahátque infamia nulla;
Miremur, ſi, cùm ſanguis ferveſcere cœpit
Patricius, cupiat miſceri ſordibus urbis?
Si magni ſatrapæ, ſocii regúmque deûmque,
In ſtabulo mœcham, uxorémque in fornice quærant?
Nempe timent, ſibi ne præſtet virtutibus hæres,
Séque minùs referat materno ſanguine clarus.

Si regnum Furiis jam permittamus, et omnes,
Ac non invitis ſuperis, exerceat artes:
Sæva Megæra ſuas, populi corrumpere mores
Ulteriùs non ipſa poteſt. Quas dira noverca
Cogitet inſidias genero, quas ipſe novercæ,

✻ 45. SI MAGNI SATRAPÆ, &c.] Quæ in ſtomacho ridebam, quum carmen hoc componerem, nunc quidem, mutatâ ſententiâ, ſatìs admirari nequeo, et laudare optimatium eorum mores et conſilia, qui malint nuptias indotatas, et ſibi uxores deligant ex infimâ plebe, quæ nobilium fœminarum culpâ careant, neque unquam incommodæ ſint et importunæ. Vide, quæſo, quàm præclara exempla hujuſce rei proponamus, duos ſcilicet hujus ſeculi potentiſſimos reges, qui tales ducendo uxores ſibi, forſitan et populis ſuis, poſteríſque optimè conſuluerunt.

Quas

Quas ſocer ambobus, quid dicam? Filius ecquis
Non odit patrem? Natos odere parentes;
Quiſque ſuum hæredem; ſit quamvis regius hæres.
Toxica quin juvenes diſcunt miſcere, ſuáſque
Uxores alii vendunt, aliíque clientes.
Seſe alii, patriámque omnes. Formidine pœnæ
Quemquamne à vitio redimas? Noctúrnus ubique
Opprimit incautos graſſator, et omne theatrum,
Et vicos terrore implens. Hos damnet, et illos,
Hos tollat judex: fruſtrà caput exſecat Hydræ.
Suppliciis creſcit numerus. Nova peſtis in urbem
Hæc unde invaſit, proceres, cognoſcite. Veſtris
Utitur exemplis mala plebs. Sibi namque notavit

℣. 63. FRUSTRA CAPUT EXSECAT HYDRÆ.] Haud quidem Lernææ, quæ, Hercule in auxilium ritè invocato, fortaſſe opprimi poſſet. Verùm hoc eſt monſtrum illud immane, quod in veſtibulo Inferorum Æneas vidit, cujus ope per tot annos adjutus eſt Plutus, quod ore ac halitu peſtifero omnia noſtra corrupit, manus, mores, mentes, artes liberales, hominum ſocietates, conſilia publica, aliósque aliáque, tantósque tantáque, ut cùm difficillimum ſit, tum ſanè hodie ea deſcribere non audeam.

℣. 65, 66. VESTRIS—UTITUR EXEMPLIS MALA PLEBS] In omnibus Europæ regionibus, quotquot ipſe

Aulæ celſa quibus quis ſcanderit artibus, et quæ
Cuique viro officiant virtutes, génſque ubi magna
Cum populo jaceat, paucorum præda latronum:
Qui ſpernunt leges, ſanctúmque impune ſenatûs
Judicium: ſalvis opibus, qui numina rident,
Si Virtus, ſi numen Honos, ſi Jupiter ipſe
Numen habet. Culpâ caruiſſe fatebimur unâ
Quos tamen hâc: iſtis quum ſit nil nequius uſquam,
Non ſimulant Rhetos, caſtíque píique videntur;

ipſe vidi, homines plebeii formant animos, et fingunt ſuos ad principum et procerum mores; et aula vitiorum et virtutum omnium certiſſima eſt materia. Sed hoc argumentum cùm ſæpè aliâs, tum in commentariolis, et in cauſâ meâ, pluribus ac ſubtiliùs explicui.

✝ 72. SI VIRTUS, SI NUMEN HONOS] Romani templa Virtuti, et Honori poſuere.

✝ 75. NON SIMULANT RHETOS] O deteſtabile hominum genus, hypocritæ! Iis tamen aſtutias ſuas et ſimulationes condonare velim, quum ita graves ac ſeveras induant perſonas, et tales agant partes, ut fictis ſuis ſermonibus exemplíſque, quemadmodum ſe hodiè gerit Tartuffius noſter, aliquos trahant ad inſigne decus et veram pietatem. Cùm illuſtriſſimus ille comes, comes de C. magni ſanè vir ingenii et conſilii, mittendus eſſet legatus ad Batavos, quidam impuriſſimus ſacerdos, huic optimati pulchrè notus, et aliquando Græculus convictor, nunc quidem de rebus ſuis aſtutè cogitans, ſibi deſtinabat capellani officium; et benigniſſimi hominis voluntati erga ſe minimè diffidens, hanc dignitatem à patrono ſuo quàm familiariter poſtulabat. Legatus autem ſacerdotem noſtrum

fecum

Sed coràm peccant, quærúntque ex crimine laudem.

Hi ſunt, queis debent ſua præmia, nomina, honores
Pontificum proceres: his omnis purpura ſervit,
Nemo deis. En, qui primas tenet inter Iernos,
Quàm ſibi, quàm fœdè vivit! cui ſumma voluptas,
Ipſe vices quorum ſupplet, maledicere divis;

ſecum abducere negavit, et hâc uſus eſt excuſatione: Mi homule, cùm tot vitiis abundes, unum quidem, idque perquam neceſſarium tibi planè deeſt. Ita mehercule es perfrictâ fronte et tam inverecundo animi ingenio, ut hypocriſis omnino omnis ſis expers, ullóque tempore ulliúſque virtutis ſimulationem, etiam officii tui, nequeas induere. Sanè iſtud quidem, ſi concedo, ut tu ſis itineris mei ſocius, et mihi et tibi perincommodum erit, cùm negotium publicum et legationem apud eos agam, qui etſi Jovem ipſum pili non faciunt, eum tamen ſe præcipuè curare, et colere ſimulant; quibus et me legatum modeſtiſſimum, prudentiſſimúmque, et te, quod minimè potes, virum ſanctum et valdè ſacerdotem videri oportebit.

Rheti ſunt populi ſimplices, ſancti, pacifici, ſed viri fortiſſimi, et patriæ et libertatis publicæ aſſidui diligentéſque defenſores. Vid. not. ad ℣. 150. L. I. Templi Libertatis

℣ 79. EN, QUI PRIMAS TENET, &c.] Tenebat, quum hoc facerem carmen: ſed paucos abhinc annos eſt mortuus. Is qualis fuerit, cognovi; parvi quidem vir ingenii, atque animi; quem cùm nullâ doctrinâ aut bonis artibus excoleret, tum verò novis præceptis et malâ conſuetudine imbutus, in conviviis et circulis civium ſacerdotúmque ſuorum, religionis Chriſtianæ myſteria nunquam non irridebat, et aliis irridentibus favebat, plaudebátque.

Nunc

Nunc ſtultè irridens veteris primordia mundi,
Nunc doctas artes, nunc et miracula rerum,
Præcipit et ſacro quæcunque volumine Paulus.
At nemo meliùs novit, quæ pabula lætas
Porcellas faciant, ſapiant quid terga ſuilla.
Fortè aliquis (ſanè fuit hoſpes juſtior æquo)
Quum ſimilam, quum lacte novo ſpumantia vaſa
Tempore brumali, populo morbíſque faméque
Jam pereunte, dari porcellis viderit, Ohe,
Pauperibus meliùs ſerves: ſic te tua virtus,
Sic te commendet pietas regíque Jovíque.
Hunc præſul torvè aſpectans, non carnibus, inquit,

℣ 85. AT NEMO MELIUS NOVIT, &c.] Multa ſanè hercle jucundè, quamvìs immania et odioſa, ipſe olim, cùm apud exteros iſtos pauliſper commoratus ſum, et mihi notabam, et hoſpites Ierni narrabant de infulati hujus ſermonibus, moribus, cultu, victu, déque edacitate præſertim; qui verò carnis porcinæ ſapore præcipuè captus fuit et delectatus, neque unquam aut reipublicæ, aut eccleſiæ cauſâ, quibus aliquando præfuit, de curſu ſuo, ſaginandorum ſcilicet porcorum curâ, deflexit.

℣ 89, 90. POPULO MORBISQUE FAMEQUE — JAM PEREUNTE] Propter aſſiduum fævúmque gelu, et anni intemperiem. Vid. not. ad ℣ 443. L. 2. Templi Libertatis.

℣ 93. NON CARNIBUS, INQUIT, &c.] Traditur Scythiæ populos anthropophagos

Humanis veſcor, neque barbara fercula cœno
Indorum; cùm nil porcinâ eſt ſuavius uſquam,
Pulchrius at nil eſt, in harâ modò creſcere noſtrâ
Sueverit, et claris fuerit majoribus orta,
His ſuibus patriis, his, quos arceſſimus ipſi.
At quid ridiculum magìs eſt, quàm pauper obeſus,
Et plebeia anima in nitidâ cute? Dedecus iſtud
Propulſant urbani homines; nec paſcere vulgus
Muneris eſt noſtri: nobis nos naſcimur omnes.
Eſto, age, macte animi, dum te miratur Ierne
Egregium, et nulli ſimilem! Sed ſi mihi detur,
Annuerítque deus, Circæis artibus uti;
Setigeri ipſe tui jam nunc, ſociûm inſtar Ulyſſis,

thropophagos olim fuiſſe. Idem de Americæ quibuſdam populis nobis ii tradunt, quibus contigit novum iſtum orbem viſere et peragrare. Hinc præſulis hujus reſponſùm iſtud memorabile, **I can't eat the poor.**

¥ 98. HIS, QUOS ARCESSIMUS IPSI.] Sues ex eâ Angliæ parte ſemper emendas arceſſendáſque curabat homo noſter, quæ generis ſuilli excellentiâ maxime nobilitatur.

¥ 106. SETIGERI IPSE TUI &c.] Hyberniæ incolæ Porci nomen huic infulato haud quidem inficetè indiderunt, tum propter hominis obeſitatem edacitatémque, tum propter porculatoris, quo præcipuè functus eſt, officium. Quàm opportunè verò ei aptatum fuit vetus illud

Pars pecoris fies, ô tali digne figurâ!

Hic quoque non temerè memoretur carmine noſtro,
Bellulus hic Abbas, magnâ notiſſimus aulâ.
Quem non ingenuas artes aut hoſpita Pallas,
Aut docuit Rhedycina ſuas, aut ulla Camœna.
Hæc cauſa eſt, doctos cur lædere quærat, et inter
Cœnandum nugas, ut nemo, garriat, ore
Certè equidem indictas alio. Nam ſiquis Homerum,
Virgilium ſiquis laudat, ſic incipit: *At nos*

illud proverbium, Sus Minervam, quotieſcunque apud proceres, aut ſacerdotum collegia de ſacris religionibus, de cæremoniarum ſcientiâ, ſive de adminiſtrandâ republicâ concionatus eſt?

¥ 109. BELLULUS HIC ABBAS,] In carminibus meis Gaurus, ſive Armiger appellatur; in ſcriptis ſuis Archimagirus, Archimimus, Phileleutherus, aliiſque polyſyllabis titulis inſignitur; à Cantabrigienſibus verò planè ruſticè vocatur Fax, et Fæx, quæ quidem nomina ei addita ſunt, et impoſita tum à vitæ et generis conditione, tum à ſtudiis et facinoribus ſuis.

¥ 115. AT NOS &c.] Ne tu, mi lector, me poeticâ levitate hîc jocari ſuſpicatus fueris, ſanequàm ſingularem ſuam confidentiam et vim dicendi, omnémque Abbatis noſtri ſermonem omnibus ſuis verbis exprimendum putavi: et tibi confirmo, eum iſto modo quàm putidiſſimè, at ſuo judicio argutiſſimè, ſemper diſputare, et hujuſmodi ineptias apud nobiles et ignobiles, vetulas et viduas mulieres præſertim, effundere ſolere.

Verſificatores vanos hercle odimus omnes,
Qui nunquam ceſſant mentiri. Scilicet ipſis
Legimus his oculis, ut quidam, nomine Ulyſſes,
Ligneo equo invectus Trojanam everterit urbem,
Et cunctos cives clavâ mactaverit unâ.
Somnia quæ, et tricæ! cùm non fuit ullus Ulyſſes,
Ullus equus: ſed nec de ligno animalia fiunt.
Ligneus, en, qui nunc ſtat in aulæ fronte caballus,
Is, quamvìs morum ſit caſtigator acerbus,
Nec ſe tollere humo poterit, neque, quadrupedis qui
Inſideat dorſo, bellator lædere quemquam.
Audi: operæ eſt pretium. Fratrum par nobile quondam
(Nam pulchrè memini) fuit Hector et Hannibal: olli
De regno certant: cadit Hector, et Hannibal urbem
Vi potitur; monachâſque rapi ad ſtuprum, monachóſque

¥ 123. LIGNEUS, EN, &c.] Ubi prætorianæ cohortes, et ſatellites regii excubias et vigilias agunt, tuendi palatii cauſâ, ibi in ſtatione ſuâ, aſpectu terribilis, ſicut Priapus olim in hortis cultiſſimis, ſtat equus ligneus cùm ad arcendos fures, tum ad caſtigandos milites, ſiquid deliquerint.

Im-

Imperat occidi: namque hos bonus Hannibal omnes

Ex Jacobitis *natos cognovit, et ipſos*

Tam patribus ſimiles, quàm lac lacti, ut Polycarpus

Teſtatur rectè. O vigeat tua, Gaure, ſenectus!

135 In'que dies creſcat felix audacia, nullæque

Ingenii dotes obſint tibi, proximus ut ſtes

Cæſaribus tandem, et ſummos merearis honores!

Alter erit tum orator, et altera quæ jocularis

Litera nos objurget, erit quoque plumbeus alter,

℣ 132. JACOBITIS] Unum hoc verbum plurimum quidem, etiam mirum quiddam valet, atque iis, qui admirabiliter rempublicam et civitates noſtras hodie adminiſtrant, non ſolùm utile eſt, ſed maximè neceſſarium; ut quod tributa et vectigalia facilè augeat, milites alat, claſſem inſtruat, denique clamores, iras, plauſus, riſus, metus, motus excitet pro re natâ, vel ad principum virorum arbitrium.

℣ 136. PROXIMUS UT STES &c.] Abbas noſter tametſi qualis ſit, vides, levis, ridiculus, inſulſus, is tamen facere potuit, ut fortuna optatis ſuis et ſpei reſpondeat. Tria ſanè aut quatuor nunc ampl habet ſacerdotia, mox ampliſſimi augendus. Neque mehercule eſt ullum iter ad opes et honores ſacerdotales tam arduum ac difficile, quod non ſternant, patefaciántque, non dico, veræ ſpectatæque virtutes, aut liberalis et elegans doctrina, ſed ſervitus lenonia, os impudens, et paraſitica adulatio.

℣ 139. LITERA NOS OBJURGET, &c.] Vide epiſtolam objurgatoriam ad Guilielmum King, et alteram reverendi admodùm ad Archidiaconum, virum quoque reverendum admodùm, atque adeò fratrem fraterrimum.

At-

140 Atque iterum ad fratrem mittetur epiſtola fratris.

At non immeritas liceat tibi pendere grates,
Si mihi ſit qualis vir dicas, Muſa, Diaulus;
De mimo medicus, medico de paupere myſta,
Cuique ſacram tandem dedit ars paraſitica pallam.
145 Qui nunc, dum culpat mores, ſanctúſque videtur,
Inſignes quærit lenas, tenerámque Neæram

℣ 142. DIAULUS;] Sive Tartuffius, Anglicè et Gallicè Tartuffe, quod cognomentum homini ex moribus datum eſt. Is verò quemadmodum ſacris initiatus fuerit, dein in purpuratum creverit, dein, ad altiſſima animum adjiciens, ſedes ornatiſſimas et lucroſiſſimum ſacerdotium obtinuerit, et quales hodie ſint ejus geſtus, habitus, negotia, facinora, machinationes, cogitationes, ex comœdiâ celeberrimâ facilè perſpicias. Ubi enim poeta comicus Tartuffium ſuum ſuis civibus exhibet, omnes ejuſdem generis veteratores, ii cujuſcunque ſint regionis incolæ, ſanè commodè depingit. Sanè commodè etiam et jocoſè ſatìs ſui et Diauli noſtri munus et artificium deſignat hôc epigrammate Martialis:

Nuper erat medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:
Quod veſpillo facit, fecerat et medicus.

Neque ego quidem miror, quòd medicus nullius nominis in veſpillonem primarium ſe mutari concupierit, quippe qui quæſtuoſiſſimum fungendo munus, infinitum ſcilicet mortuorum numerum quotannis efferendo, et ſepeliendo, magnam pecuniam aut imperaret, aut corrogaret.

℣ 146. INSIGNES QUÆRIT LENAS,] Celeberrimæ obſtetricis, quæ et lena erat de meliore notâ, domum

Ipſe domi ſibi ſolus habet; dúmque optimus idem
Civis et orator, nunc his ingratus amicis
Aſtruit inſidias, nunc illas captat avaras;
Nunquam non doctis Rhedycinæ infenſus alumnis:
Et cui debet opes, titulos, tria nomina, caſtam
Libertatem odit, quaſi dudum mortua diva,
Aut vetula ipſa eſſet, tibi quam legâſſe, Diaule,
Tótque aliis fundos, Stygias dum tranatat undas,
O quantùm doluit! ſua quin reſcinderet acta
Cuncta quidem, ſiquid ſcirent reſcindere manes.

mum frequentabat Diaulus; et cùm nemine omnium amicorum aut amicarum uſus eſt familiariùs, tum haud uſpiam, uti ipſe teſtatur, ſe illuſtrius exemplum ſanctitatis præbuit.

Cur toties intrat lenæ Tartuffius ædes?
Ut doceat vetulam, quid ſit amare deum.

℣ 153. AUT VETULA IPSA ESSET,] Matrona nobilis, ſordida, varia, levis, inexorabilis, auri argentíque appetens uſque ad furorem. Patefactâ ſibi occaſione, quum ipſa quidem (heu, nimium diu!) regni quaſi præſes eſſet, comparandi opes, tantas corraſit tandem, ut locupletior publicanis omnibus, etiam publicanorum principe, Judæo Apella, exiſtimaretur. Quia vividum et acre odium ſemper gerebat adverſus ſuos omnes, liberos, nepotes, neptes, cognatos, affines, ideo diu dubitavit moriens, quos relinqueret hæredes. Quos reliquerit, ex teſtamento ſcias. Si vis plura de vetulâ noſtrâ cognoſcere, conſulas oportet imperii annales; ſin autem veriſſima, ex commentariolis Cadeni mei ea conquiras.

Ecquid

Ecquid mirabor, reputans hæc talia mecum,
Debita cur capiti maneat reverentia nulla
Mitrato, puerique et vulgus rideat audax
Negligat et ſacros proceres, divûmque miniſtros;
Quos ſub Carolidûm regno ceu magna colebat
Numina? Sit (puta) ſit civis nequiſſimus, odit
Qui juſtos ſanctóſque viros, et candida corda,
Eximiáſque animi dotes; laudaverit idem
Hæc tamen invitus ſecum: dúmque omnia vendit,
Pupillos, natos, ſuffragia, jura, Penates,
Et charam prodit patriam, damnaverit ipſum

¥ 161. CAROLIDUM] Caroli II. & Jacobi II. regum Britanniæ.

¥ 162. SIT (PUTA) SIT CIVIS &c.] Poſtremò quidem amplis quibuſdam documentis oſtendere et demonſtrare volui virtutem propter ſeipſam expetendam, et ſui ipſius eſſe præmium: quippe corruptiſſimi cives, inque homines deóſque ipſos nefarii, etſi ad ſummos honores ex infimâ populi fæce perveniunt, et grandem conficiunt pecuniam, quæ quidem omnes honores exæquat, minimè tamen ſibi ſatisfaciunt. Se contemni, et deſpici vident, ſentiúntque: et rectè mehercule ſentiunt. Idcirco non poſſunt facere, quin gravi ſuâ infamiâ ſe aliquando levare cupiant, et bonæ exiſtimationis fructum jam tandem cogitent, ſibíque optent. Id verò haud ullius hominis oratio, aut ipſius regis authoritas, aut venerabile quoddam ſenatûs-conſultum iis præbeat, ne quidem aliquantulum impertiat veræ laudis.

Emptorem

Emptorem, et gentis morem incuſaverit ultrò,
Res tenues, comites, et ſortem queſtus iniquam.
Poſtquam mille dolis furtíſque Voranus apertis
Argentum, famulos, pretioſáque vaſa paravit,
Rura ſuburbana, atque agros, villáſque domóſque
Magnificas, ingentem prædam, ac qualis avaro
Sufficiat ſatrapæ; poſtquam cum præſide regni,
Cum magnis vixiſſe datur: noménque bonámque
Hunc famam exoptâſſe ferunt, et præmia, virtus
Quæ dare ſola poteſt, atque his doluiſſe carentem.
Uſque adeò fulgore ſuo trahit ipſa nocentes,

℣ 170. VORANUS] Hujus hominis formam, facta, animúmque ſanè graphicè depinxit verbíſque elegantiſſimis, tumulo ejus inſcribendis, (niſi id minùs vellent Vorani hæredes) medicus ille illuſtriſſimus, doctiſſimus, humaniſſimus, **Arbuthnot.**

℣ 174. CUM PRÆSIDE REGNI ----CUM MAGNIS &c.] Pluti, ærarii regníque præfecti, et quorundam procerum congreſſus quotidianus, et ſermo familiaris magno quidem adjumento fuit Vorano, ipſis verò magno dedecori.

℣ 176. HUNC FAMAM EXOPTASSE, &c.] A milite quodam, cui Voranus inter cœnandum dixit, ſe bonam famam exiſtimationémque vel decem millibus librarum velle emere, eâque emptione res quidem pretioſiſſimas ſanè benè emiſſe ſe arbitraturum, hoc reſponſum tulit, Fidem mehercule tibi habeo, Vorane, quippe propter penuriam duplo, aut quadruplo vendes.

Et vincit virtus hoſtes hominúmque deûmque,
Qui ſe poſſe negant vinci. Corruptius ævum
(Quis negat?) hoc dixi nullum. Verùm ecce Pothinus,
Patricios opibus magnis qui adjunxit honores,
Crimine perfidiæ meritus, dum cuncta gubernat
Ceu Plutus, ceu rex, aliis dans commoda vitæ,
Divitias, titulos; quàm ſunt ſua vitrea fracta!
Quàm ſubitò præceps agitur! non fulmine cœli
Percuſſus rapido, non paſſus principis iram,
Non legum, amiſſis opibus, vel rebus ademptis.
Temnitur. Hinc hominem luctus cruce ſævior omni

℣ 181. POTHINUS] Sicarius iſte infamis, qui proditor fuit et interfector Pompeii magni. Nomen hoc aptandum puto non ſolùm * *, et * *, ſed iis omnibus, qui ita ſunt inconſtantes et venales, ut à virtute et dignitate ſuâ deficiant, et conſiliis ſceleratiſſimis reipublicæ firmamenta evertere conentur. Atque id propterea noſtrorum nemo quiſquam, ſi civis is eſt, qui eſſe debet, honorificè eos appellat, aut tralatitiâ ſalutatione dignos judicat.

℣ 189. HINC HOMINEM LUCTUS &c.] Et plurimi narrant, et mihi non eſt dubium nobiles noſtros Pothinos majeſtate ſuâ, æquè ac ſceleribus ſuis, jamdudum eſſe conterritos, et rempublicam quæſtui habuiſſe miſerrimum quidem ducere; quando ab iis contemnuntur, à quibus coli ſolebant, quinetiam ab iis minimè obſervantur, quorum facultates et nequitiam perfidiâ ſuâ adjuvârint. Quapropter, cùm ſummum honoris gradum

ſe

Nunc angit. Quid enim? nemo hercule, nemo ſalutat,
Aut illi aſſurgit. Vitant juvenéſque ſenéſque
Matronæque nurúſque omnes. Si nobili alumno,
Fortè rogas, quæ dem præcepta, Imitere Camillum,
Cælio eas comes, aut Priſco, juvenique fideli

ſe obtinere putaverint, ad imum, ut mea fert opinio, atque adeò bonorum omnium, ſubitò volvuntur.

Ad POTHINUM.

Quo malè ſtas hodie, dum culmen lubricat Hermes,
Dum ridet, dum te præcipitare putat:
Tu quid ſis hominis, non perſpicit ille, Pothine:
Et vafri fruſtrà eſt hoc opus omne dei.
Culmine ſtas quamvìs, fieri non poſſe videtur,
Ante obitum ut caſu tu graviore ruas.

℣ 193. IMITERE CAMILLUM] Hoc quidem nomine declarari volo virum nobiliſſimum, Carolum Butler comitem de Arran, magni ducis Ormondi fratrem, et academiæ Oxonienſis, quam prudentiſſimè atque ad ſalutem omnium adminiſtravit, ab anno 1715 cancellarium. Cujus conſtantiam et pietatem, quum optimè ſemper meritus eſt de republicâ, ecquis non amat? cujus amorem fraternum, et erga ſuos omnes liberalitatem ſummam ecquis non valdè laudat? Qui, cùm veritatis ſemper fuit amicus, bonos omnes ſibi amicos faciat, neceſſe eſt: et, cùm nihil eo comius, humanius, moderatius eſt, inimicum, credo, habeat neminem. Ad octogeſimum annum vixit integrâ valetudine, atque animo firmo, æquo, quieto. Vivat!

℣ 194. JUVENIQUE FIDELI &c.] Jacobo Dawkins, adoleſcenti primario et erudito, moribus elegantibus et ſuaviſſimis: qui ad excolendum animum infinitas regiones peragravit, et luſtravit, haud quidem ullâ in re aut ſumptui, aut labori parcens. Cujus nobilis et illuſtris peregrinatio, et quas de-

Te ſocium, licet, addas; qui maria omnia terráſque
Urbéſque et populos, et quicquid utroque ſub axe
Mirum extat, lætus vidit; quem nulla perîcla,
Pondera nec rerum terrent, ſeriéſve laborum.
Hos ô ſemper ames, utinam! fugiáſque Pothinum,
Ut peſtem fugias! Meus hic eſt ſermo, tuúſque
Hic eſto, aut patriæ, aut ſi ſit tibi cura tuorum.
Adde huc, quòd ſiquis, vel major fortè Pothino,
(Quo patre ſit natus, nil refert) ſive ſenator,
Seu rex, ſit patriæ infidus, ſit falſus amicis,
Qui cupit, et rapit, atque alios jubet eſſe rapaces;
Idem erit et populo, ſociis deſpectus et ipſis,
Forſan et uxori, ſervis, ſcelerúmque miniſtris;
Quem vulgi hinc voces, falſa hinc convicia patrum,
Inde Lycambeo petet omnis carmine Muſa,


ſcribendas, et depingendas ità accuratè, ut nemo alius, curavit, monimentorum veterum marmorúmque tabulæ; et quos rerum omnium confecit commentarii, patriæ et republicæ utiles, liberalium artium cultoribus pergrati, antiquitatis verò ſtudioſis etiam peritiſſimis jucundiſſimi erunt.

Op-

210 Opprimet atque ſuo tandem mala pondere fama.

Quorſum hæc? ne ignores, quàm turpis diſtet honeſto,
Laudato infamis, (quicquid malè ſuadeat aula
Serviles animas) fas ut ſit dicere, Necdum
Omnis honos abiit, nec virtus nomen inane eſt.

℣ 213, 214. NECDUM—OMNIS HONOS ABIIT, &c.] Haud quidem quemquam hominem novi ita perditum, ut omnis virtus et bona exiſtimatio odio et ludibrio ei omnino fuerit. Etenim ſiqui ſunt, qui flagitioſiſſimi exiſtimari, et videri cupiant, et malint; quique palàm et ante oculos omnium de facinoribus ſuis proditionibus et mendaciis glorientur; eos mehercule non tam homines quàm peſtes, et furias, et Acheruntica monſtra, humanis figuris induta, eſſe arbitrabor.



Gul.m Green Junr. Delin. P. Fourdrinier Sculp.

MONITOR.

SCRIPTUS EST HIC DIALOGUS ANNO MDCCXLIX,

NUNQUAM ANTEHAC EDITUS.

ÆNEARUM TABULARUM


Explicatio.

I. TABULAM *in hanc prodit pontifex, qui fuit, noſter ſummus, ſive alius quidam principum ſacerdotum. Ad latus ejus adſtat conjux fideliſſima, fœmina primaria, criſpa, cata, cauta, callida, filiabus quinque, viro quàm maturiſſimis, coram adductis; ut juveni academico poteſtas et optio ſiat ex omnibus eligendi commodiſſimam, quam ſibi adjunctam velit uxorem.*

——————Præbendâ hanc divite donas,
Sancte pater.—— ℣. 127.

II. TABULA *in hâc, initiali literâ, immanis carceris præfectus clades, cruces, et carnificum tormenta, barbarorum more, captivis ſuis minitatur.*

III. TABULA *eſt bipartita. Hîc reges potentiores de dividundo terrarum orbe inter ſe contendunt. Illic Libertas urbem Genuam obſidione liberat, in fugam convertit, atque à Ligurum finibus pellit Auſtriacorum copias, quum fruſtrà iis auxilio eſſet inſtructiſſima Britannorum claſſis.*



Gul. Green Jun. Delin. P. Fourdrinier Sculp.

MONITOR.

AULICUS. AULUS.



ANE ſenex, fruſtrà contendis rhe-
tor haberi,
Si laudare parùm eſt, nî tu dicte-
ria fundas,
Et regum offendas ſocios. Com-
mendat amicum
Vir catus experiénſque? haud dulcibus acria miſcet,

¶ 1. VANE SENEX, &c.] Incredibile eſt dictu, poſtquam oratione habui in theatro Sheldoniano, die dedicationis bibliothecæ Rad-

Auditorum animos irritans. Neſciat uti
Fortunâ rebúſque ſuis, qui Tempora! clamat,
Et procerum mores, propiúſque inquirit in aulam.
Nil te commoneat Libertas vincta catenis,
Arcéſque invifæ, et rabidi perjuria Byrrhi,
Et Taurus judex, comitúmque exempla tuorum,

Radclivianæ, quantâ in offenſâ fuerim apud eos omnes, qui aulæ deſerviunt, conſiliarios, milites, medicos, cauſidicos, lenones, mimos, paraſitos, delatores, maximè verò ſacerdotes purpuratos, et non purpuratos; qui quidem, quiſque ſuo more ac tempore, me petebant, et maledictis inſectabantur. Ex iis inſigniores quoſdam notavi, graviore fortaſſis animadverſione poſthâc coercendos.

N. B. Quam perſonam Aulico meo impoſui, ea neque ficta eſt, neque inepta. Ceterùm ipſe quidem hominem audivi, ut transfugam, méque in ſuorum ſcelerum regionem inducere conantem, non lubenter; ut veterem meum amicum, dum breviter exponit tempora et optimatum conſilia, non invitus.

℣ 9. RABIDI PERJURIA BYRRHI,] Byrrhus natione Hybernus, primum circumforaneus fuit pharmacopola, deinde militum tribunus, poſtremò caſtellanus, ſivè ampliſſimi carceris præfectus; vir ſanè conſceleratiſſimus, et immanitate naturæ inſignis: qui non modò civium, qui in vincula conjecti eſſent, calamitatibus et ſuppliciis ſe mirè delectatum fuiſſe confitebatur, ſed eas, quà potuit, auxiſſe. In nobilem quemdam famoſum dixit Byrrhus teſtimonium; quod quum non fere cuiquam eſſet credibile, tum neque iis, quibus id commentum erat utiliſſimum, ſatis placuit. Perhibent noſtri hunc caſtellanum divinam tandem pœnam ſubiiſſe, manifeſto perjurio meritam debitámque.

℣ 10. TAURUS JUDEX,] Ut tuto ſim, de Tauri judicio, quiſquis ille, et id qualecunque, tali tempore ſileatur.

Cum

Cùm miſer hic periit cruce, percuſsúſque ſecuri
Ille jacet; dum quæ noſtro pars exulat orbe
Miratur, quòd ſit tam mitis numinis ira?
Sic quoque mireris! Neque enim veteríſque ſodalis,
Officiíque memor tibi quid violentius opto;
Si modo deſieris, monitúſque HEROA, DUCEMQUE——
AUL. Aulice, quò properas, horrenda, extrema minatus
Indigno? quid enim peccavi, ut publica verba
Sermonéſque pios ſceleris tu nomine damnes?
Haud graviùs pol me jamjam incuſare ſolebant
Perfida cauponum collegia; vel ferus is, quem
Ridiculum vates noſtri fecere giganta;

℣ 18, 19. PUBLICA VERBA—SERMONESQUE PIOS] Preces ſcilicet et vota, quibus in fine orationis meæ Aſtræam noſtram, et Britanniæ Genium revocare ſtudui, patrios deos ſimul orans ac obteſtans, ut peſtes eas omnes, quæ urbes et domos noſtras hodie infamant, polluúntque, tandem aliquando ex inſulâ jubeant excedere. Quotus autem quiſque civium bonorum invenitur, qui non eadem mecum ſentiat, optet, precetur, deprecetur?

℣ 21. PERFIDA CAUPONUM COLLEGIA,] Sacerdotum quorumdam ſocietates, qui principibus noſtris ſe venditare, et voces ſuas ſemper proſtituere parati, ut caupones vinum adulterant, animos et mores juvenum facilè corrumpunt; etiam inſuper καπηλεύοντες τὸν λόγον τῦ θεῦ.

℣ 22. GIGANTA.] Quo die orationem Radclivianam habui, for-

Nec ſtolidi Armigeri convicia; ſed neque Mopſi

tè aderat quidam S. T. B. ex grammatiſtarum grege, qui ſe tanti putat, ut præ ſe eruditos omnes ducat pro nihilo. Vix dicendi finem feceram, cùm homo incenditur, furit, curſitat huc et illuc, me calumniatur, horribiles ſtrages mihi minatur. Itaque poſtquam ſeceſſit, ſe ad ſcribendum comparat, librum conficit, orationi meæ reſpondet, ſingula refutat; deinde librum, quem imprimendum curat, magnificè oſtentat, ingenium ſuum venditat, ſe victorem appellat, triumphum canit. Dehortantibus verò amicis, ne librum edat, quum nulla ei à me orta fuiſſet injuria, primum repugnat; deinde labaſcit, miteſcit, librum tandem indignatus abjicit, quaſi facti ipſius eum puderet. Aliquot poſt menſes iterum vehementiſſimè commovetur grammatiſta noſter, ne tum quidem aut verbo ullo, aut ſcripto à me violatus; diſputat, clamat, latrat, in me bacchatur in circulis omnium, doctorum, indoctorum, bonorum, malorum, puerorum, puerarum. Quem abjecerat libellum, retrahit, recognoſcit, emendat, auget, et, ſpretis demum amicorum conſiliis, emittit. Qualem verò, dii boni, libellum! in quo nihil ineſt ingenii, aut doctrinæ, ne quidem criticæ, quam mehercule artem homo opinioſiſſimus totam vult eſſe ſuam. Qualem verò! non modò ſacerdote Chriſtiano, ſed homine ingenuo, ſed quovis homine indignum: quandoquidem nulla eſt hujus pars opuſculi ſummæ expers turpitudinis, cùm propter maledicta, quæ ex trivio et miſeræ plebeculæ convitiis ſcriptor arripuit, mihíque ultro ingeſſit, tum propter miras ſanè et numeroſas laudes, quæ quum de uno nemine haberi poſſint, eas ſibi arrogat, et nomini ſuo libat glorioſiùs. Ex quo fit, ut, cùm aliis ludibrio, aliis contemptui, aliis odio, ſuis omnibus ſit dedecori, magnam quidem mihi miſericordiam commoveat. Quippe qui planè eâ ægritudine et ægrotatione mentis, in quam incidere ſolent invidi et malevoli omnes, uſque adeò opprimitur, ut indies ingraveſcente morbo, caput inſanabile, vel Hippocrate noſtro judice, eſſe videatur.

Gigantis cognomen, ironiæ gratiâ, huic grammatiſtæ academici juvenes dederunt. Vide autem ejus Elogium, ubi et ipſe, et qui unà maledicebant, eíque adjutores erant ad injuriam, Feſcenninis verſibus celebrantur, tum ſermone Latio, tum patrio ſcriptis.

Pagina famoſi; ſed nec Tartuffius ipſe.

25 Quid metuam inſidias Byrrhi, ſi verba Latina

℣ 23. ARMIGERI] Nimirùm is, qui arma ſuppeditat, et miniſtrat giganti; **The Giant's Squire**. Vide Hydram, à ℣. 109. uſque ad ℣. 140. ubi plurima de Armigeri ingenio et ſermone narrantur. Verùm enimverò hominis hujus malitiam ſimul ac ſtultitiam ſatìs admirari nequeo, aut verbis exprimere; qui, ut me ignoratæ Latinitatis accuſaret, Terentium, Ciceronem, Virgilium accuſavit. Sed ſi eum penitus perſpicere velis, et cognoſcere, qualis ſit criticus, ſacerdos, philoſophus, medicus, &c. conſule Elogium, et libellos eos jocoſioores nuper editos, in quibus academici Cantabrigienſes de novâ et ignominiosâ dominatione cum præfectis ſuis expoſtulant.

℣ 23, 24. MOPSI—PAGINA FAMOSI;] Hic eſt egregius iſte epiſtolarum ſcriptor, qui honoris causâ, **Fitz** equitis nomen ſibi ſumpſit. Ex adverſariis meis unus omnium mihi inimiciſſimus nihil dicit, aut ſcribit, niſi ſummâ cum meâ contumeliâ, nihil tam laborat, quàm ut ipſe malè audiam. Apologiæ nondum editæ, quam pro meipſo ſcripſi, Mopſi, ſive **Fitz** equitis hiſtoriam inſerui, et omnia ejus ſcelera patefaciendo conatus ſum, ut hominem, commentitiis nominibus et pavonum pennis exutum, poſteris tradam. Interea, dum hoc alterum mihi paro ſubſidium, vide Scamnum meum, et gigantis Elogium, ubi mores et officia Mopſi ſatìs rectè deſcribuntur.

℣ 24. SED NEC TARTUFFIUS IPSE.] Ubi, me graviſſimam ab eo accepiſſe injuriam, per literas cum Tartuffio queſtus ſum ſanè ſatìs urbanè, *Si ego dignus hâc contumeliâ, at tu indignus*, &c. atque eum pro æquitate ſuâ (omnium enim æquiſſimum ſe **videri** cupit) rogavi, ut mihi quodammodo ſatisfieret, hoc reſponſum tuli: INJURIAM TIBI IDCIRCO FECI, QUIA ALTER FECIT. AT VERO, QUIA IS NEGAT SE TIBI SATISFACTURUM, IDEO NEQUE EGO ARBITROR ME TIBI SATISFACERE DEBERE.

N. B. Iſte Tartuffius, ſive Diaulus, qualis ſit, et cujas philoſophus, Satirâ priore declaratur.

In hunc ALTERUM, virum quidem minimi pretii, alio loco animadvertendum eſt.

Indoctus neſcit? quid et ipſo à judice Tauro,
Si noſtri haud falſi eſt mens conſcia? Diximus at quid
Liberius: veniam, vel te cenſore, meremur;
Sed Jove, ſed populo, ſed Musâ judice laudem.
Munere ſeu fungi, quodcunque academia mandet,
Tradere ſeu præcepta meis, ſeu ſcribere verſus,
Et Latio, et mores hominum ſermone notare
Conatus patrio, ſemper tibi ſacra litavi,
Candida Libertas, patriæque retentus amore,
Et, Rhedycina, tuo. AULIC. Unde tibi hæc antiqua phreneſis?

℣ 35. ANTIQUA PHRENESIS?] Hoc ignominioſo nomine hodie ſignatur patriæ amor, libertatis ſtudium, et ſiqua eſt ſingularis et eximia virtus, non modò apud Plutoniæ cohortis reliquias, ſed apud Sardos-Britannos, novos iſtos reipublicæ et amicorum deſertores, præſertim venales ſacerdotes, qui ceteros transfugas (pudet dicere) audaciâ et improbitate ſuperant.

De Cinnâ, archidiacono, canonico, cancellario, præbendario, magiſtro, &c. &c. ſacerdote transfugâ, mox purpurando.

Venales, rogitas, ubi quis ſit fortè repertus,
Qui Sardos potuit vincere: Cinna poteſt.
Et major laus eſt Cinnæ, cùm transfuga fiat:
Hi produnt homines; prodidit ille deos.

Hanc

Hanc tibi virtutem quid fecit, inutile pondus,
Haud animis aptam noſtris, quæ ceſſit ab aulâ,
Urbe, foro, templis? téque hunc agnoſcere quamvìs
Sermonem pudeat, vix nunc academia perſtat.
Temporibus parent omnes. Circumſpice magnos,
Aule, ſacerdotum proceres: ecquis colit artes,
Antiquóſque deos? cui ſe debere fatetur
Cuncta, ecquis prodeſt, aut matrem protegit almam?
Mente caret, quiſquis loquitur Saturnia regna,
Aſtræam revocans, aut publica commoda curat,
Sat benè ſi ſibi ſit. Veteres patriæque tuíque,

¥ 41. ECQUIS COLIT ARTES, &c.] Semper hercle locus erit hiſce querelis, niſi proviſum ſit legibus, ne præſules imperii, præſertim qui obſcuro loco nati fuerint, uxores ducant. Nam ſtatim atque nuptias fecerint, magnas omnes à republicâ et liberas cogitationes avertunt, et omni ſanè ſtudio et cunctis nervis incumbunt ad procreandos liberos; deinde ad conficiendam ingentem pecuniam ex ampliſſimis eccleſiæ fructibus, ex fœneratione, ex venditionibus, emptionibus, captationibns, &c. Eſtne, qui hæredibus reliquerit pluſquam centena millia nummûm noſtrorum? ne quidem aſſem ſibi ex teſtamento legatum expectet alma mater, in cujus gremio tamen à pueritiâ homo noſter fuerat ſuſtentatus, ſaginatus, educatus. Ne me temerè hoc affirmare putes, conſule teſtamentum I. P. A. C. teſtamentum I. G. E. L. teſtamentum E. C. E. D.

Aſpice,

Aſpice, ut everſis rebus lætentur amici,
Summi oratores! En, magni Tullius oris,
Et Bruti pietas, et virtus dia Catonis
Quas populo imponunt plagas! prædâque paratâ
Pulchras exercent, quas invenit Alphius, artes!
Pollio et ipſe facit nova carmina! Quæque dicavit
Libertati olim, tollit Macer omnia, quæque
Reſpuit indignans, nunc præmia flagitat ultrò!
AUL. Hæc, licet, objicias, neque nobis parciùs unquam.

℣ 48, 49. TULLIUS, BRUTI, CATONIS] Hæc glorioſiora nomina quidam ex oratoribus noſtris aut ſibi ſumpſerunt, aut iis addidit popularis aura, quo tempore et extra curiam et intra nihil in ore habebant, niſi ſalutem populi, dignitatem imperii, conſervandam libertatem, coercendos milites, reprimendos publicanos, minuenda vectigalia, augenda commercia, tuendos negotiatores, colendas artes, ornandos philoſophos: quæ tamen omnia ſcitè jam intelligitur, quum Pluti ſucceſſoribus hi magniloqui acceſſerunt, ſuis commodis et cupiditatibus ſemper fuiſſe poſteriora. Unde natum modò eſt apud nos hoc proverbium, Ex Cicerone Catilina.

℣ 51. ALPHIUS,] Fœnerator egregius, Judæus primarius, qui pecuniam publicam, quæ nobis imperata eſt, unus curat; ità tamen, ut centum circiter talenta, diligentiæ et virtutis ſuæ præmia, ex populi ſpoliis ſibi quotannis ſortiatur.

℣ 52. POLLIO ET IPSE FACIT NOVA CARMINA.] Pars eſt verſûs Virgiliani. Ecl. 3. ℣. 36.

℣ 53. MACER] Poeta et orator, cujus ſcripta vide.

Fal-

Fallebar: ſed erant, qui poſſent fallere divos.
Si decus imperii, ſocios ſi, candida, feci
Hos tibi, Libertas, ad cœlum laudibus uſque
Extollens; ignoſce, precor, dea, laudibus iſtis
Sæpè recantatis; delicta ignoſce fatenti.
Pœnituit: noſtríque inſcripta in margine libri,
En, quæ pauca notant homines, ſed fortia verba;
Quæ narrant pœnas, oracula certa, futuras:

VENDIDIT HIC AURO PATRIAM.

Vendidit hic, ut ſpectet regem, ut polluat arma;

℣ 63. QUÆ NARRANT POENAS, &c.] In ima Tartara in'que graviſſimas impiorum pœnas Virgilius detruſit proditores patriæ, eóſque omnes, qui auro corrupti eſſent ad exterminandam rempublicam. *Vendidit hic auro patriam.* Æneid. L. 6. ℣. 621. Hôc loco dicitur poeta deſignâſſe Curionem, qui à republicâ ad J. Cæſarem deſciverat, atque documentum ſtatuiſſe, quid extimeſcendum ſit ab iis omnibus, qui Curionis perfidiam imitentur.

℣ 64. VENDIDIT HIC, &c.] Vir olim ità comis, jucundus, liberalis, ut ab omnibus ſedulò obſervaretur; ità diligens et libertatis publicæ ſtudioſus, ut quum ſocios omnes auctoritate et dignitate vinceret, in unius ejus manu ſalutem reipublicæ poſitam eſſe putares. Neſcio autem quo malo aſtro natus, noxiis Furiarum faucibus eò uſque afflatus fuit ſenex jam quinquagenarius, ut ne mens quidem eadem, aut color, aut vultus, aut forma, aut vox ei hodie maneat: atque adeò tantâ ignominiâ et turpitudine notatur, ut, plurimum etiamſi

Lautiùs ut pueri cœnent ; ut gaudeat uxor ;
Ut ſtolidus blateret frater, nequiſſimus idem ;
Ut plus diripiant liberti. Vendidit ille,
Ut montes faciat, fines ut proferat horti,
Jugera jamque addat centum, jamque altera centum,
Ædificétque novas turres, et mimica templa,
Et pictas caſulas, quas non invenerit ingens
Vitruvî ingenium ; mox hæc bella omnia, parco

etiamſi tributum eſt ad eum augendum, cunctis tamen civibus, etiam liberis et cognatis ſuis æquè infeſtus ac inviſus, vix quidem homo inter homines eſſe videatur.

℣ 67. VENDIDIT ILLE, &c.] Vir de Epicuri grege, duplex, incultus, arrogans, ingenii ſatìs feracis, ſed inquieti, importuni, inverecundi. Quam perſonam optimi civis, ſimulatione reipublicæ, ſuſcepit ſub Pluti regno, eò geſſit, ac ſuſtinuit, ut ſummi oratores et poetæ noſtri aſſiduis laudibus eum ornarent. Atque haud ſcio, an ſui oblitus ſeſe aliquando verè eſſe exiſtimaret, qui aſſimulabatur. Sed enimverò ſeipſum minimè novit: ſiquidem à republicâ tandem apertè et impudenter defecit, iiſque acceſſit, quos mordere, ac probris omnibus lacerare ſolebat. Paucos ante obitum annos novâ quâdam ſpecie correptus eſt amentiæ. Perſuaſiſſimum habuit, lunam ſibi à Jove donatam eſſe, ut hortus, qualem vehementer voluit, ampliſſimus fieret; ſi fieret ampliſſimus ex tantillo orbe. Dum has ineptias ſomniat, in ea pallidula loca abiit, ubi Menippus impunè diſputat, pauperes gaudent, purpurati plectuntur.

℣ 72. VITRUVÎ] M. Vitruvius Pollio inſignis fuit architectus, et vir felicis ingenii. Floruit ſub imperio Auguſti, cujus munificentiâ adjutus decem libros de architecturâ ſcripſit. Celeberrimum hujus

ſeculi

Inviſa hæredi, magnâ caſura ruinâ.
Tu quoque deſereres patriam? tu talibus ires,
Culte Tibulle, comes? Quis, quo nil clarius extat,
Ingenii vires, quáſque omnes dii tibi dotes
Eximias dederunt, pretio proſtare putaret?
Si procerum turbæ iraſci ſatìs eſſe videtur,
Si viles animas, patriæ ſi dicier hoſtes
Hos alios; tu diis ingratus habeberis ipſis.
At nimiùm triſtis ſceleris dum ſuſpicor omnes,
Te tamen excepto ſemper, clariſſime Priſce,
Te tamen excepto ſemper, chariſſime Cæli;
O communis amor patriæ! vos fama perennis,

ſeculi architectum, et familiarem meum, Jacobum **Gibbs**, Vitruvio maximè acceſſiſſe ſatìs intelligo, pari quidem laude dignum, pari munificentiâ minimè adjutum.

℣ 75. CULTE TIBULLE,] Quo amore, quàm non ficto hunc nobilem amo! Quàm admiror elegans et jucundum ejus ingenium! Quàm mihi dolet eum in Plutonias ædes et Cyclopum officinas aliquando intrâſſe; tantùm verò, quod et ægritudinem meam, et malum ſuum minuit, ut exiret!

℣ 82, 83. PRISCE, CÆLI;] Vide quæ anteà oportere dici exiſtimaverim de illuſtriſſimis hiſce viris, comitibus de **Weſtmoreland**, et * * *: quorum amicitias propter eximias ſuas virtutes maximè expetivi; partas, ut Muſarum ſacra, veritate colui.

Præmia virtutis, maneat; donare ſuperbi
Qualia non poſſunt, ſed non auferre tyranni.
Quin tibi, magne decus Rhedycinæ, Carole, noſtræ,
Quin tibi ſemper agam, quas debeo, Maxime, grates.
Túque tuæ gentis princeps, princépſque ſenatûs,
Cambria quem genuit; tu Sili, et docte Probine,

℣ 87, 88. CAROLE, MAXIME] Quæ omnia de nobiliſſimorum horum hominum (ducis de **Beaufort**, et comitis de **Oxford** et **Mortimer**) fide, integritate et conſtantiâ anteà prædicavi, confirmare et illuſtrare auſim. Sed enimverò gratiæ ſingulares ſemper iis habendæ ſunt à nobis Oxonienſibus, quippe qui difficillimis noſtris temporibus academiæ fortiter et fideliter præſtò eſſent. Ipſe autem eorum virtutes grato animo ſemper proſequi debeo, quos mihi amiciſſimos præcipuè cognovi, quum Tartuffius et ſocii ejus (quæ fuit hominum malevolentia) me graviſſimè accuſarent, et neſcio quid de oratione meâ criminarentur.

℣ 89. TUQUE TUÆ GENTIS &c.] **Watkin Williams Wynn**, Baronettus, optimus civis, mei amantiſſimus; qui cùm hoc facerem carmen, ſupremum diem obiit, heu, mihi ſemper acerbum, patriæ et reipublicæ acerbiſſimum! Loco alio excellentiſſimi hujus hominis virtutes memoravi, et vicem dolui; neque nunc remittendus eſſet dolor meus, niſi quod veritus ſum, ne afflicto animo, et fractis ingenii viribus, hujus ſatiræ ceteræque omnis orationis nervi minùs acriter intendantur; atque ità eſſet, ut juſtiſſima mea indignatio in inanes fletus et lachrymas utique abiret.

℣ 90. SILI, PROBINE] Qui magni quidem ſunt conſilii cives, dignitatis pleniſſimi, de republicâ et academiâ noſtrâ optimè meriti. Cæterùm cauſa eſt, quamobrem nequid ultrà jam nunc ad eorum laudes adjiciam, aut vera nomina et ſtudia in medium proferam: quæ tamen omnia olim prædicari oportebit, quum de tantis viris in perpetuum fileri nefas eſſet.

Quorum

Quorum nil potuit ſanctum mutare tenorem,
Non oblatus honos, non ſplendida gratia regum:
Et vos, ob patriæ ſtudium commune, ſodales
Quos mihi delegi; quibus aut natura benigna,
Aut mundi ipſe pater præcordia candida finxit:
Carminibus vos Muſæ omnes, vos Delius ipſe
Nobiliore lyrâ celebret. AULIC. Ah! ſomnia narras,
More ſenum. Quid enim Priſci tibi profuit, Aule,
Quid Cæli virtus? aut, quos numerâris amicos,
Egregii cives? Dignè laudaveris illos,
Téque illi laudent: eſt ingens gloria. Sed tu
Tam bonus es frugíque, ut gloria paſcat inanis?

✱ 93. ET vos, &c.] In hâc re verè gloriari poſſum, me jam inde à puero ad neminis cujuſquam amicitiam memet contuliſſe, niſi qui reipublicæ viſus eſt amiciſſimus; neque eum ſocium mihi fidelem eſſe putâſſe, niſi cujus fidelitatem erga patriam perſpexiſſe mihi perſuaſi. Nihilominùs tamen in eligendis amicis ſpem et judicium meum eventus nonnunquam fefellit, ubi pauci ex iis, magnorum ſanè exemplum ſequuti, et me, et ſeipſos, et patriam unà deſeruerunt. Quos omnino fidos habeo, ii quidem ſemper mihi ſunt aſſenſi de republicâ reſtituendâ, de egenis ſublevandis, de litibus dirimendis, de infulatis notandis, de leguleiis et latronibus exterminandis, de Sardo-Britannis et Cyclopibus ejiciendis.

Aut, quia potor aquæ, jam ſperes veſcier aurâ,
Utque togâ tenui vigeat contenta ſenectus?
Diſce, licet ſerò, monitis jam cedere noſtris;
Et regis famulos, atque atria quære potentûm,
Tyndaridáſque, penes quos nunc ſunt omnia, fratres
Imprimis colito, et quò ducant, dirige greſſum.
Non erit hoc aliud tibi ſidus amicius. Aſtrum
Cæſaris ulteriùs procedere neſciat, ipſi
Ni præeant: adeò eſt fatum, quodcunque jubebunt.
En, quales hodie fiunt proceréſque ducéſque!

℣ 107. TYNDARIDAS FRATRES] Caſtorem et Pollucem Ledæ filios, quos Romani in deorum numero collocabant, et venerabantur: quos etiam, quippe quia eos ſæpiſſimè præſentes cognoſcebant, ſentiebántque quales eſſent, et quàm diligenter reipublicæ negotia curarent, teſtes et arbitros legum omnium judiciorúmque conſtituebant. Tyndaridæ ab aſtrologis, Gemini appellati, inter notiſſima ſidera, numerantur, atque fiunt unum ex duodecim Zodiaci ſignis. Sed enim hôc ſigno nihil eſt hominibus benignius, in hâc regione præſertim, utpote quod ambitioſos ad ampliſſimos honores, avaros ad magnas opes, delicatos ad egregias voluptates, guloſos ad opiparas cœnas facillimè perducat. Quapropter non modò Aulicus meus, ex confeſſo homo venalis, ſed principes viri, ſed ſacrificuli majores, ſed peritiſſimi aſtrorum contemplatores monent, hortantúrque, ut clariſſimis hiſce fratribus vota omnium, qui quærunt, unde mollitèr vivant, præcipuè nuncupentur.

Qui claſſi præſunt hôc dextro ſidere nati!
Qui ſibi rem magnam faciunt per templa deorum!
Expers militiæ, clarus tamen induperator
De portu ſolvit; mare tranſit; terret Iberas,
Gallorúmque acies: quid deinde? hoſtilibus oris
Appellit naves; expugnat, diruit, urit
Tres piſcatorum caſulas, urbíque minatus
Excelſæ horrendas ſtrages, incendia, præſénſque
Excidium, redit incolumis, poſcítque triumphum.
Filius hic terræ, ille fabri eſt: ſed præſulis ambo
Os, habitúmque gerunt, etiam ſubtile palatum.
Quid? Davum cernis? quem dum ſua purpura veſtit,

℣ 115. EXPERS MILITIÆ, CLARUS &c.] Ecquiſnam negat navalem hunc apparatum et expeditionem magno fuiſſe dedecori, ſi non exercitui, at ſaltem imperatori, at certè iis, à quibus vir talis Britannorum militum exercitui fuit præpoſitus? Nam dum avidiſſimè expectamus victoriæ nuncios, dum nobis pollicemur magnam Galliæ partem ſub ditionem noſtram eſſe redigendam, Scotus iſte ad unam hanc ſanè egregiam laudem viſus eſt omni ſtudio incumbere, minimè quidem ut cum hoſtibus confligeret, verùm ut tutò poſſet effugere.

℣ 124. DAVUM.] Qui me abſentem, eíque tantùm nomine cognitum, iniquiſſimis ſermonibus, quos etiam ad me voluit perferri, laceſſivit, mihi plus cuiquam infeſtus. Is fuit olim ſervus adſcriptitius,

Stant in veſtibulo lectica, et turba clientum,
Ante domum ornati bijuges. Eſt, cui ſua Baucis
Filiolam peperit? præbendâ hanc divite donas,
Sancte pater, ſi jam virgo eſt matura marito.
Útque omnes, plures ſi ſint, puerique puellæque,
Et gener, atque uxor ditantur; cetera vendit
Scriba bonus, nempe ut fratres paſcantur egeni.

tius, nunc factus eſt, quibus artificiis haud quidem ſcio, ſacrificulus purpuratus, et *pileum in cælum tollit*. Quo autem cognomento, quibúſque titulis hodie ſit inſignitus, quibus amicis, patronis, clientibus, congerronibus utatur, cives meos jamjam certiores faciam. Atat! mira ſunt, ni Davus noſter eſt Tartuffii frater.

℣ 127. PRÆBENDA HANC DIVITE DONAS, &c.] Invaleſcit quotidie hæc conſuetudo, quam cives noſtri ſi jocoſo, at apto et proprio vocabulo, contumeliæ cauſâ, nominant **Simoch-Simony**, conficiendi ſcilicet dotes nubilibus antiſtitum filiabus; quum nihil eſt tam alienum à ſacerdotum munere et officio, neque magìs abhorret ab eccleſiæ dignitate, et veterum inſtitutis. Quid enim hoc eſt aliud, quàm bona deo dicata, quæque pietatis et doctrinæ præmia proponi debent, in merces vendibiles convertere, et probroſiſſima pacta conventa contra legum municipalium et juris canonici regulas rata habere?

℣ 131. UT FRATRES PASCANTUR EGENI] Purpurati homines, et qui ampliſſimis ſacerdotiis præſunt, tantilla ſalaria annua vicariis ſuis ſacerdotibus conſtituunt, quos tamen honoris cauſâ, fratres appellare ſolent, ut hi vicarii vix mehercule habeant, unde edant. Coquos et pocillatores, et id genus homines, qui haud ſcio an pluris æſtimantur ex artificio ſuo, quàm minuti hi ſacerdotes, ſcio tamen duplâ mercede eſſe conductos.

AUL.

AUL. Bellè hæc enarras, etiam veriſſima. Quid? quòd,
Aulice, facta canas comitum majora tuorum?
En, qui de populo prædatus mille talenta,
Tutus ab exilio venit! Quin filius hæres
Intumuit, tanquam ſit ventre indutus, et ore
Impuro Sulcî: ſed nec contentus opimis
Divitiis impunè frui, contemnere cives,
Et quà, culta, tibi potuit, Rhedycina, nocere;
Sed nec honoratum, quum ſit cruce dignus, habere
Conſcriptos inter patres ſedémque locúmque;
Is niſi ſit titulis ſpecioſus, vóxque ſuperbum,

℣ 137. SULCÎ] Homo fuit confidens, ventrioſus, magno capite, cauſidicum ſe profeſſus: ſed bonis et ingenuis artibus inimicus, etiam ſuæ imperitiſſimus. Quapropter, ut rem ſibi quocunque modo faceret, delatoris ſuſcepit munus; quod et ità acriter implevit, ut Sulcium Horatianum longè ſuperaret. Etenim noſter non modò verborum, et jocorum leviorum homines ſponte accuſavit, verùm ſiqui tranſverſà, atque huc et illuc intuerentur, aut vultum lætiorem ſolito triſtiorémve ſumerent, eos læſæ majeſtatis legibus poſtulandos, et capitis damnandos eſſe cenſuit.

℣ 142. IS NISI SIT TITULIS SPECIOSUS, &c.] Is cujus ſit coloris homo, cujus patris hæres, quàm paternis bonis et emptitiis titulis hodie ſuperbiat, carmen meum tibi, lector, indicio eſſe ſatìs certò ſcio. Cæterùm, ſi vir es academicus, et Muſarum cultor, et amans patriæ, cave hominem, ne tibi imprudenti obvertat

Prô pudor! infami addiderit polyſyllaba nomen.
Sed vobis quid non licuit, qui quicquid habetis
Muneris, ex illo lucrûm ingens quæritis omnes
Per fas, pérque nefas? Quid ſi graviora tributa?
Mercatura perit? lugent ſua damna coloni?
Dum loca militibus ſunt omnia plena ſuperbis;
Quíque exercebant cives piratica bella,
Judæos opibus ſuperant: dum cætera turba
Nautarum, artificum, manus audaciſſima, merces
Expediunt vetitas, vendúntque impunè latrones.

obvertat cornua. Cave inſuper etiam tibi ab omnibus novis iſtis hominibus, cùm Anglis, tum Iernis, qui nobiles facti ſunt, et de tenui origine tam repentè creverunt, quàm fungi hôc pluviali tempore ex terrâ procreantur.

℣ 149. PIRATICA BELLA] Captis Hiſpanorum mercatoriis navibus, permulti ex civibus noſtris magnam quidem rei familiaris jacturam fecerunt; quippe qui ante bellum Hiſpanicum, propter quæſtuoſiſſimam mercaturam, ſocietates cum Hiſpanis negotiatoribus iniebant. Nullâ autem harum ſocietatum ratione habitâ, mercimonia omnia, et quicquid auri et argenti interceptum erat, prædatoriis navibus adjudicabantur.

℣ 152. VENDUNTQUE IMPUNE LATRONES.] **Smugglers**: quorum hodie infinita eſt multitudo, multicolor, multivaga. Quid autem hoc tam mirum eſt, quum tantum oneris plebi imponitur, tanto pretio omnia venduntur, etiam quæ ad uſus vitæ neceſſarios ſunt expetenda? quum fiſcus permagnum vectigal cogit, accipítque quotannis, etiam

AULIC. Re totâ errâsti. Quos, tu inconsulte, latrones
Clamas, hi magnis nunquam non fratribus adsunt;
Hi prosunt aulæ. Quid enim? cui copia rerum
Displiceat sano? Quæ tu piratica dicis,
Sunt nobis laudi, sunt et justissima bella.
Consulimus mundo, ac sese compescere discant
Quo modulo, quos dii reges struxere per orbem,
Præcipimus. AUL. Quos dii reges struxere per orbem,
Jus cujus sibi quisque petit! Periisse quot urbes,

etiam quotidie ex rebus omnibus, factis infectis, emundis vendundis, exportandis importandis, artibus liberalibus et illiberalibus, vestitu, victu, vivis, mortuis, ex terrâ, aere, igne, aquâ, cœlis inferísque?

¶ 153. QUOS TU INCONSULTE LATRONES &c.] Aulicus meus hôc fortasse utitur vocabulo [*latrones*] secus atque ego sum usus, eundémque ad modum, atque Plautinus miles glorioſus Act. 1. Scen. 1. ubi hæc appellatio, quâ designantur regii milites, est perhonorifica, et sanè bene derivata. Sed quia inveteravit aliena hujus verbi significatio, sentiat lector cum Aulico meo, (id verò ut lubebit) intelligátque haud quidem alios ullos tam prodesse aulæ, tamque animo adesse regni satrapis, et rebus omnibus nostris, quàm Plautinos latrones.

¶ 161. PERIISSE QUOT URBES, &c.] De jure belli, de gloriâ imperii, de tributis et vectigalibus, de pugnis, victoriis, spoliis, præliis, cladibus, cædibus, expugnationibus, populationibus, excidiis, rapinis, incendiis, videant reges, imperatores, et duces omnes Europæ, Asiæ, Africæ, Christiani, Mahometani, Ethnici, magni et minuti, victi et victores, sapientes et insipientes, quid respondeant Infe-

Millia quótque hominum, centenáque millia cernis,
Hic ſibi uti victor titulos adſciſcat inanes,
Ille ut vaſtatis latè dominetur in agris?
O quoties, quiſquis populo meliora precaris,
Intuitus terræ dominos, fævóſque tetrarchas,
Præfectóſque, novóſque heroas, et id genus omne,
Concipis hæc animo ſanè pulcherrima vota!
Sit, precor, ô nobis rex optatiſſimus ille,
Quem Corſis ſtatuit vates, Mavortis alumnus;
Quem fabri fecere rudes: obſeſſa ſalutem
Cui Ligurum modò gens, atque urbs ſua debuit uni.

rorum judicibus. Ipſe quidem de hiſce rebus nimiùm ſæpè differui.

℣ 170. QUEM CORSIS STATUIT VATES, &c.] Vide Antonietti Epiſtolam ad Corſos de rege ligneo eligendo. Quid verò hoc Antonietti monitum et præceptum ſignificet, ſatìs intelligunt, quibus licet intelligere, et cognoſcere, quanti ſit æſtimanda libertas. Et eam quidem, quæ honorifica hôc loco facta eſt mentio regis lignei, quanquam Aulicus meus jocos et nugas eſſe abitretur; ipſe tamen hunc ſermonem meum ſerium et decorum putari volo, et omnia ſanè intelligi de gratiâ divæ Libertatis retinendâ. Quæ quidem, poſtquàm Corſis à Liguribus oppreſſis auxilio fuerat, iiſdem Liguribus difficillimo tempore opem tulit, animum et rempublicam reſtituit, et urbem Genuam obſidione liberavit. Mirum profectò et immortale facinus, et memoriæ ſempiternæ prodendum!

Hujus

Hujus enim causâ Libertas affuit ultrix
Diva ſuis, populúmque patréſque haud acriùs uſquam,
Dum furor Auſtriacus petit omnia, juvit inertes.
AULIC. Queis rerum dominos, aut queis defendere poſſim
Verbis, Aule, meos, quum magna et ſeria vertis
Inque jocos nugáſque; et, qui diis proximus, hunc tu
Ridiculum fingis? nec quid delator acerbus,
Alteráque Aſcalaphi quid triſtis epiſtola narret,
Muſis dirum omen, metuis? Verùm hæc ego mitto,

℣ 180. ASCALAPHI] Quo nomine deſignatur B——delator inſignis, fraudum, calumniarum et machinarum omnium inventor, quæ ad famam meam lædendam adhibebantur. Hic eſt iſte delator, qui aditum habuit facillimum ad regni præfectos, et ipſe perjuriſſimus, et cujuſdam impuriſſimæ lenæ perjuriis adjutus, Academiam OXONIENSEM vehementer accuſavit, et in odioſum læſæ majeſtatis crimen vocare potuit. Et quanquam in hoc facinore is manifeſtò tenebatur, ampliſſimo tamen donabatur ſacerdotio, ſceleris præmio. Vid. p. 219.

Fabulam Ovidianam de Aſcalapho, qui in bubonem à Proſerpinâ mutatus eſt, non ſine causâ confictam eſſe crediderim, quâ poeta mihi viſus eſt in delatores omnes pœnam graviſſimam conſtituere. Hoc autem maximè intereſt inter duos Aſcalaphos: fabuloſus ille verum dixit teſtimonium, noſter falſiſſimum, qui mehercule unum hoc cogitavit, quæſivítque, quonam modo ſatis argumenti ſufficeret Tartuffio, et judici * Fuſco ad maledicendum Academiæ Oxonienſi, id eſt, *virus angui adjiceret*.

* Judex iſte, qui Academiam Oxon. graviſſimè apud Cantabrigienſes accuſavit de fictâ et ridiculâ eâ conjuratione, The Rag-Plot.

Atque ad me redeo. Vitam cupis eſſe beatam,
Quæ ſupereſt? muta ſocios, ſermonem animúmque,
Atque alios mores, alium tibi ſume colorem.
Sed, ſi nil ſapies tandem, neque te piget, Aule,
(Ut neque te piguit Menam vitâſſe vocatum)
Tyndaridas vitare, novúmque exquirere ſidus;
Si patria, et pietas, et ſi tibi ſemper in ore eſt
Libertas; ſi mens adeò obfirmata, tuæque
Scribere ridendas ſatiras et carmen inane,
Difficiles nimiùm, nequeunt dediſcere Muſæ;
Verte ſolum, moneo, atque aliud longè pete. Non hîc
Virtutem patiuntur opes, nec creſcit honeſti
Auctor; non, equidem ſi ſit facundior ipſe,
Quàm ſacer antiſtes, tum cùm pleno intonat ore

℣ 186. MENAM] Vide Sermon. Pedeſtr. et not ad ℣. 274, 278, 294 & 298. Videas autem, quàm ſit eadem et hujus, et iſtius dialogi ſcribendi ratio, idem in utroque propoſitum, et uterque ex rebus conceſſis, ſed neque diſſimili argumento, concluſus. Nam etſi quædam, commutatis perſonis, ii, à quibus Menæ ſucceſſum eſt, commutârunt; magnoperè tamen ipſe providerunt, ne adminiſtratio et ſtatus reipublicæ, et negotiorum gerendorum ordo commutetur.

℣ 195. QUAM SACER ANTISTES,

Auguſti laudes; ſeu quando hortatur ad arma
Socordes animos, aurúmque extorquet avaris;
Sive deos chlamydatus adit, gentémque rebellem
Devovet, et Scotos omnes præmittit in Orcum.

AUL. Aulice, (conſiliis neque enim mendacia miſces)
Seu prodeſſe cupis, ſeu nunc moliris amico
Inſidias veteri; proprium mutare colorem,
Durior ínque tuos me neſcio vertere mores.
Libera ſi pretio quantôvis otia vendam,
Cui non inſanus videar? Sed apertiùs audi:
Quæ juvenem, infirmúmque animi captare nequibant,
Illa ſenem capiant? Aut quæ terrere perîcla
Poſſe putes hominem, cui climactericus annus
Præſidio eſt omni majus? cui vita videtur

TES, &c.] Vir ſanè excellens, qui quidem ceteris omnibus ſui ordinis officio et authoritate præſtitit; qui ex ſtultis ſapientes, ex avaris liberales, ex ignavis et delicatulis fortes et ferreos homines facere potuit. Is verò, quum antiſtitum unus omnium paludatus exiit, reipublicæ et exiſtimationis ſuæ ſtudioſiſſimus, hercle neſcio, utrùm populo majori fuerit delectationi, an auxilio, utrùm armis, an pietate inſignior.

Haud

210 Haud equidem tanti eſſe, ut quid caveátve, petátve
A regni ſatrapis, ullâque ſit anxius horâ?
Si mihi non dextram tetigiſſe, aut limina regum
Contigit, et Lare ſub parvo mea canuit ætas;
Attamen æquo animo, non ullis rebus egenus,

℣ 212. SI MIHI NON DEXTRAM &c.] Velim, mi lector, mihi ignoſcas, quòd in libris meis aliquid de meipſo gloriari videor; atque hoc totum, quicquid eſt, aſcribas, attribuáſque malevolentiſſimis inimicorum meorum obtrectationibus, quos niſi quodammodo redarguiſſem te docendo, ipſe qui ſim, et quæ vitæ meæ conſuetudo, et ii cujuſmodi, et omnino quales fuerint eorum mores, non modò me nimis patientem, ſed planè inertem et infantiſſimum exiſtimares; non modò non primariorum virorum et optimorum civium, ſed neminis cujuſquam hominis ingenui liberíque amicitiâ me putares dignum.

℣ 214. ÆQUO ANIMO] Hæc æqualitas animi, quâ nihil beatius, unde ſit, difficile dictu videtur. Ritè forſitan dicamus, eam ingenitam eſſe, quibus contigit, et à naturâ donatam; vix autem, aut nullo modo per nos conquirendam, aut etiam virtute, vel doctrinâ pariendam, nedum fortunæ munere, vel bonis externis: quæ tamen omnia (quis negat?) magna nobis afferunt adjumenta ad jucundè vivendum. Perſpicuum hoc eſt: ſiquidem permulti ſunt, probi, docti, opulenti et fortes viri, quos, certis temporum intervallis, modò leves, modò triſtes, modò familiaribus ſuis, modò ſibi ipſis, omnino ſine causâ, moleſtos cognoverimus; præſertim in Britanniâ noſtra, ubi varietas et intemperies cœli (ut phyſici volunt) incolas ipſos varios et intemperantes facit. Quapropter in extremâ hâc parte opuſculi mei (ut id quidem uno tenore peragam) utinam iterúmque utinam omnes homines Britanni omnium ordinum, generum et locorum, eodem, atque ego, (abſit verbo invidia) eſſent animo; eodem, atque is, qui ſit æquiſſimo. Quod ſi ità eſſet (ô ſi!) pro certo

215 Non inhonoratus vixi: neque gratius uſquam
Dii munus dederunt, cui ſe faviſſe fatentur.

certo polliceri poſſem, ſublatis tandem temporum querelis, et ſcelerum machinatoribus et miniſtris, omnia et reipublicæ, et OPTIMO PRINCIPI fauſtè et feliciter eventura.



Gul. Green Jun. Delin. P. Fourdrinier. Sculp.

AT NON CUNCTA TAMEN VOLUIT SIBI MUSA LICERE:
NEC FICTIS AUSA EST QUEMQUAM INCUSARE QUERELIS,
NEC GENUS INNOCUUM STRINXIT, FRUITURA JOCANDI
SÆVITIA. SEMPER MANEANT SUA NOMINA CASTIS,
INTACTÆQUE DOMUS! NEC BELLI QUÆRERE CAUSAS,
LÆDERE NEC FAS SIT, QUI NON LÆSERE PRIORES.

Ex Epiſtolâ ad Cadenum.

B L

TRES

ORATIUNCULÆ

HABITÆ IN

Domo Convocationis Oxon.

LONDINI,
Apud C. Bathurst, & G. Hawkins, in *Fleet-Street.*

OXONII,
Apud Jacobum Fletcher.

LECTORI.

QUOD oratiunculas haſce, ſubitas quidem & penè extemporales, edendas curavi, non ex judicio, aut voluntate meâ factum eſt; ſed planè ut obviam irem malevoli cujuſdam CANONICI *injuriis. Nam ex quo tempore libertatis & patriæ laudes, & ingenuarum artium ſtudia, & optimorum civium virtutes in ſenatu noſtro celebrare aggreſſus ſum; &, quod neutiquam a meo munere alienum eſſe arbitrabar, novorum hominum in rempublicam perfidiam & proditionem leviter notavi; ita rei novitate perculſus eſt vir iſte magnificus, ut ultra modum intumuerit (quanquam ſemper intumeſcit notabiliter) meque in conviviis rodere, maledictis laceſſere, & procaciſſimâ cenſurâ in odium & invidiam vocare vix uſquam deſtiterit. Neſcio, an credat ſuam in rem benè conducere, ut in me invehatur. Sed ideò hæc atrocior mihi videbatur contumelia, quòd neque is ſermoni meo interfuiſſet unquam, (quem profectò malebat ſibi audiendum ex interpretibus) neque ego verbum quidem unum dixiſſem de* GIGANTUM

FILIIS, *de* FUNEBRIBUS LAUDATIONIBUS *de* * PLUMBEIS HOMINIBUS; *ne verbum quidem unum de* PLUMBEIS HOMINIBUS. *At neque nunc dicturus ſum: adeò clementis ſum animi & manſueti. Verùm hercle (ne jocoſiùs hæc videar dicere, quum ſeriam rem ago) in tam illiberali ingenio, tamque immiti ſuperbiâ quid ego miror, ſi gloria præſtantiſſimorum virorum, & accuſatio nefariorum ei ſit offenſioni? quid miror, ſi vultus ingenuus, ſi mores ſeveri, ſi vox libera ei non ſit ferenda, cui deeſt purpurato dignitas, ſenatori gravitas, ſacerdoti ſanctitas, civi urbanitas, homini humanitas? qui cùm me accuſat, almam Academiam accuſat; cùm meas improbat laudationes, ejus improbat judicia; & verecundis meis oratiunculis iraſcendo, & pios queſtus ex alienâ fide damnando, ſuas ineptias ſuamque malitiam apertè fatetur. En, hic ille eſt, qui modò dite ſacerdotium arroganter recuſavit: nempe cogitat (vide, quid avaritia impudenter cogitat!) ditiſſimum; quo ſcilicet erit contentus; & quo (eheu!*

* Τὸ (PLUMBEIS) Epitheton Anglicè idem ſonans. Vide DUNCIAD.

(eheu! ita eſt ſeculum) fortaſſe donandus. Nos autem nonne intereà his ipſis præclarè admonemur, quid de re ampliſſimâ, de ſpecioſis titulis de regum, quæcunque ſunt, donis ſtatuat deus optimus maximus; quanti faciat, et quàm nolit ea eſſe virtutum præmia; quæ talis vir, qui virtutibus planè omnibus caret, ſine aut periculo, aut contentione, aut ſumptu ſibi potuit comparare? Qui in hôc illuſtri literarum domicilio, cui tamen eſt infenſus, et cujus jura palàm violavit, ornatiſſimam habet ſedem et fructuoſiſſimam; ipſe prætereà literis vix mediocriter imbutus, aut ullis artibus, niſi quas, ſi bonus eſſet civis, prorſus neſcîſſet. Hæc tibi, Lector, diligentiùs expoſui, ut ſcias, is quid ſit hominis, qui me immerentem ultrò eſt inſectatus; veniamque ut orem his oratiunculis, quæ magnis illis nominibus, quibus honores ſuos reddere mihi mandatum erat officium, nequaquam omninò ſunt dignæ; vix fortaſſe & meo. Quid igitur? ſi quæ minùs adriſerint, pulchrè memineris ea me emiſiſſe malo coactum. Et certè, qualiacunque ſunt, in iis ſatìs conſtat tale me ſervâſſe temperamentum;

tum; ut tantùm abſint a petulantiâ criminationes meæ de peſſimis civibus, quantùm præconia de optimis abſunt ab adulatione. Quapropter ruſtica hujus CANONICI *convitia, inſolentiæ, minæ, faſtus quid me commoveant; ſi ego is ſum, qui vaniſſimo corvorum ſtrepitu, quippe auratis indutorum plumis, nunquam exarſerim? Immò verò, quidni hæc omnia mihi laudi ducam? ſanè ducam oportet, ſi hodie, ſi hæc præfatus eâ, quam nuper me inveniſſe mihi ſemper gratulabor, apud Academicos meos gratiâ valeam. Sed hactenùs de odioſi iſtius hominis intemperantiâ. Neque enim pudoris eſt mei plura adjicere; neque is dignus eſt, in quem me totum parem. Prætereà autem hanc deponere perſonam (quam neque appetivi, nequeo etiam ſuſtinere) jamdudum cogito; atque iterum ad limen Muſarum me recipere. Ibi ſanè omnia & ingenio meo aptiora erunt, & ſenectuti meæ jucundiora. Ibi faciliùs, forſitan & tutiùs, poſſim veritatem colere, patriam diligere, & patriæ inimicos odiſſe, & ridere meos.*

Ex Aulâ B. M. V.
CAL. DEC. MDCCXLIII.

ORATIUNCULA

HABITA IN

Domo Convocationis Oxon.

xviii Kalendas Maii MDCCXLIII.

Cùm illuſtriſſimus Princeps

JACOBUS HAMILTON,

Dux de Hamilton & Brandon,

Præſentaretur ad Gradum Doctoris in Jure Civili,

HONORIS CAUSâ.

INSIGNISSIME

VICECANCELLARIE,

ET VOS

EGREGII

PROCURATORES,

PRÆSENTO VOBIS hunc illuſtriſſimum Principem, JACOBUM HAMILTON, Ducem de HAMILTON et BRANDON;

optimæ indolis adoleſcentem, et ſui ordinis ſpectatiſſimum: adoleſcentem verecundiâ quidem, ſed virum prudentiâ, ſed ſenem gravitate. Cui ſumma in deum, in parentes, in patriam pietas, ſumma eſt ſtudiorum et ingenuarum artium, quibus ipſe ſemper vacavit, reverentia et amor. His accedit comitas ſingularis; quam tantam ille habet a naturâ, ut vix majorem in ullo alio cognoverim: quæque, egregia virtus, ſola facit, ut cæteræ animi et naturæ dotes, ſi deſunt, minus deſiderentur, ſi abundant, eluceſcant magìs. Itaque gratulor reipublicæ, et almæ huic Academiæ, et literis ipſis pro ingenio tali; quod in homine adoleſcente rarum eſt, in nobili verò rariſſimum. Et mihimet ipſi etiam gratulor, quòd mihi datum eſt, ornatiſſimum Ducem, mihique chariſſimum, apud vos commendare: quem ſpero equidem, et (ſi benè virtutes ejus mihi ominantur, ſi, quæ optimè habent ſibi prin-

princĭpia, maturuerint) ſpondeo futurum domûs HAMILTONIÆ decus, patriæ ornamentum, Academiæ patronum, et, quod caput eſt omnium, aſſiduum pulcherrimæ libertatis propugnatorem et vindicem. Nunc verò, etiamſi hanc laudationem meam, non tam benevolentiæ, quàm judicii mei teſtimonium eſſe velim; nequaquàm tamen pro meâ conſuetudine facerem, neque quod nobiliſſimi Ducis, modeſtia pateretur, ſi eum laudibus, quanquam veriſſimis coràm onerarem: præſertim quum clariſſimus ipſe Vicecancellarius mores ejus, ut quos penitus inſpexerit, publicè privatimque celebravit; et cæteros Academiæ alumnos rectè monuit ad ejus exemplum. De ſplendore generis, et vetuſtate familiæ HAMILTONIÆ et DUGLASSIÆ, unde Dux nobiliſſimus eſt oriundus, quâ nihil clarius, ne quidem domus regia, (quippe in Galliâ, in Germaniâ, in Italiâ, in omnibus ferè Eu-

ropæ gentibus ſunt principes et primarii viri, qui ab hâc ſtirpe originem ſuam ſe accepiſſe gloriantur) quot et quanta prædicarem, ſi mihi ſpatium eſſet dicendi? At neque tum prædicarem, ni eximius hic noſter juvenis prædicationem meam poſſet adjuvare; et patriam dorum moribus et ingenio ornare ſuo. Sed enim ornat. Dumque ornat, quàm diſſimilis eſt iis adoleſcentibus, qui in Academiâ, tanquam in circulis ruſticorum verſantur; et, ſi amplas habent facultates et lautum patrimonium, ideò nihil omninò ſibi putant deeſſe: qui jactant tum demum ſeſe optimis imbutos artibus, ſi potandi, venandi, et aurigandi ſunt peritiſſimi! Quàm hic autem diſſimilis eſt iis nobilibus, qui, ut nos ad nobilitatis ſuæ memoriam revocent, majorum imagines oſtendunt; ipſi nimirùm honeſtæ familiæ, ſed vitæ infamis, ſine virtute, ſine gloriâ! At verò, quàm diſſimillimus eſt novis iſtis hominibus, qui

qui ſuperbos titulos et ingentia nomina quærentes (quæ quidem ſalvâ et florente republicâ deſperâſſent) non excellentiâ generis, aut majorum famâ, ſed flagitiis ſuis, ſed perfidiâ ſummâ fiunt nobiles : adeò ut de celsâ illâ et ampliſſimâ, in quam aſcenderunt, dignitatis ſede dignitatem jam penè omnem ſuſtuliſſe videantur! At non hîc noſtrum eſt cum iniquitate temporis pugnare. Suo jure utantur aulici : emant, vendant, corrumpant, corrumpantur. Vos autem, viri integerrimi, antiquum veſtrum ſemper ita tenete morem, veſtram tenete authoritatem philoſophiæ præſidiis, fide et firmitate animi, et liberali ſemper ita munitam cuſtodiâ ; ut hunc ſenatum, hanc venerabilem domum nulla unquam attingat infamia ; ut neque judiciis, neque conſiliis veſtris nefariorum hominum interponatur potentia ; ut denique Academici honores nemini deferantur, niſi qui ſit digniſſimus, et honori-

bus illis et majoribus ſuis. Digniſſimum ſanè et his, et illis, et quovis honore *Vobis nunc præſento*, illuſtriſſimum nempè hunc Ducem, *ut admittatur ad Gradum Doctoris in jure civili, honoris causâ.*

ORA-

ORATIUNCULA

HABITA IN

Domo Convocationis Oxon.

viii Kalendas Septemb. MDCCXLIII.

Cùm Vir nobiliſſimus

GEORGIUS HENRICUS LEE,

COMES de LITCHFIELD,

Præſentaretur ad Gradum Doctoris in Jure Civili,

HONORIS CAUSÂ.

ORATIUNCULA

HABITA IN

DOMO CONVOCATIONIS OXON.

VIII Kalendas Februarii MDCCXLII.

A GEORGIUS HENRICUS LEE,

COMES DE LITCHFIELD.

INSIGNISSIME

VICECANCELLARIE,

ET VOS

EGREGII

PROCURATORES,

PRÆSENTO VOBIS hunc nobiliſſimum Comitem, GEORGIUM HENRICUM LEE, COMITEM de LTICHFIELD:

C qui,

qui, quum ſit clarus genere, et ampliſſimâ natus familiâ et ſpecioſâ, nullâ tamen eget commendatione majorum. Quicquid enim in viro nobili aut requirere, aut amare ſolemus, ſive elegantiam ingenii, ſive probitatem morum, ſive, quod omnium eſt pulcherrimum, amorem patriæ; in hôc ſpectatiſſimo juvene hæc inſunt omnia. Ac, cùm vobis benè cognitum eſt et perſpectum, quàm benigna ſit ejus natura, quâ induſtriâ ab ineunte uſque ætate ſeveriora ſtudia coluerit, quàm inſtructus ſit et ornatus ingenuis artibus; haud equidem vereor, ne adulatoria hæc videatur, aut in oſtentationem compoſita oratio: haud vereor modicas illi laudes tribuere, cui maximæ, cui aſſiduæ debentur. Etenim hic eſt, hic eſt ille noſter; qui penè puer ſenator factus nihil pueriliter dixit, nihil fecit; ſed pulchra, ſed honeſta, ſed præclara omnia. Quæque hæc omnia, quæque ingenium et

eruditionem et eloquentiam ſuam maximè commendabant, et nunc commendant, en illi liberalis facies, jucunda gravitas, et ſenatorius decor: quæ paucis hujus ſeculi adoleſcentibus, immò ſui ordinis paucis contingunt: adeò ut vir nobilis, ſi quando de rebus graviſſimis diſſeruit, bonorum animos confirmaret argumentis, etiam malorum deliniret voluptate. Age verò, quam gratiam, quam gloriam illuſtriſſimus COMES tum conſecutus eſt, quum vox populi, quum ſenatus ſummâ voluntate bonorum omnium eum ipſum unum ex judicibus conſtituit de ſummis reipublicæ negotiis; atque ita conſtituit, ut quem veriſſimum judicem putaret! Fuit profectò veriſſimus. Et niſi ſi virtus ejus et firmitudo animi cedere tandem fuiſſet coacta iniquitati temporum, ac prævaricationi malorum civium; jam omninò ſalva eſſet reſpublica, libertas ſalva. Olim meliora forſitan ab optimatibus

noſtris ſperemus; certè omnia, firmatâ ætate, ab hôc honeſtiſſimo adoleſcente; quem nunquam a ſeſe diſceſſurum, et cujus diligentiam et fidelitatem nunquam reipublicæ defuturam mihi perſuaſiſſimum eſt, et vobis, et omnibus. Quid enim? Anne fas eſt dubitare de fide ejus, qui veſtigiis patris optimi ingreſſus nil planè metuit, niſi quod bono cive ſit indignum: qui præſtantiſſimorum virorum exempla ſequutus ita animum formavit, ut alios nobiles excitet vocetque ad exemplar ſui: cujus denique in mente inhæreſcit ſanctiſſimum libertatis nomen; et cujus ſermo omnis cùm ad veritatem, tum ad dignitatem patriæ eſt accommodatus. Sed neque modò in curiâ et conſiliis publicis, ſed etiam in otio et privatis officiis ipſe ita ſibi cunctos devinxit humanitate ſuâ et ſingulari comitate, ut graviſſimi ſenes eum ament, probiſſimi juvenes admirentur, colant amici, obſervent propinqui, invide-

ant pauci, oderit nemo. Prætereo ſtolida oppidani cujuſdam convicia, quæ nuper boando jactavit vir levis et ineptus, et facilis capi veteratoris iſtius inſidiis, qui res omnes aſtu ſolet tractare, ut ſuis commodis pareant. Ecquid igitur mirum, ſi eximius juvenis, quamvìs univerſo ſenatui, et celeberrimæ huic Academiæ ſit probatus, (iis ſanè merito probatus, quibus eſt ornamento) uni iſti, tali viro, diſpliceat? Talibus uſque diſpliceat, uſque inimicis patriæ moleſtus; dum ſummâ ſuâ virtute, et optimâ famâ et optimæ mentis conſcientiâ fruitur; propter quas oppidani iſti honores (ſiqui modò ſunt honores) ei denegantur, hi Academici decernuntur. O! ſi ſic ſemper curemus decernendos, civibus nimirùm huic ſimillimis; non quia nobiles ſunt, aut quia Academici, ſed quia viri boni, et bonorum et doctorum amantiſſimi; non quia hoſce petunt honores, ſed quia merentur: quod quidem genere, et nobili-

tate,

tate, et cunctis nominibus, et cunctis honoribus est ornatius. Itaque vehementer gaudeo, et vobis gratulor, quòd, quum alma Academia adstruendum censuit, quantum amplissimum potest, famæ et dignitati hujus nobilissimi Comitis, id planè meritis detur; magnis omninò meritis hujus integerrimi viri: Quem ego quidem nunquam intueor, quin illi precer fausta omnia, et læta omnia; nunc verò maximè, quum eum *Vobis præsento, ut admittatur ad Gradum Doctoris in jure civili, honoris causâ.*

ORATIUNCULA

HABITA IN

Domo Convocationis Oxon.

viii Kalendas Septemb. MDCCXLIII.

Cùm Vir nobiliſſimus

JOHANNES BOYLE,

COMES de ORRERY,

Præſentaretur ad Gradum Doctoris in Jure Civili,

HONORIS CAUSÂ.

ORATIUNCULA

DOMO CONVOCATIONIS OXON.

Inſigniſſime Vicecancellarie,

ET VOS

EGREGII PROCURATORES,

PRÆSENTO VOBIS hunc nobiliſſimum virum, JOHANNEM BOYLE COMITEM de ORRERY, hunc ornatiſſimum virum, hunc, in quo glorior, * LÆLIUM meum: qui a puero mirè ſtudioſus, et avito præditus ingenio, in almæ noſtræ Matris ſermone ità fuit educatus, ut omni liberali doctrinâ, et Græcis literis et Latinis haud quiſquam hodiè ſit eruditior. Anglicani verò ſermonis tanta ei eſt elegantia, tanta oris ſuavitas, tanta comitas

* Vide SCAMNUM ad Verſ. 150. Vide TEMPLUM LIBERTATIS ad Verſ. 388. Lib. 1. et ad Verſ. 28. Lib. 2.

cum gravitate judicii conjuncta et in dicendo et in ſcribendo, (Lyrica ejus opera teſtes, et diſertiſſimæ epiſtolæ, et jucundiſſima convictio) ut ſæpiſſimè arbitratus ſim, Apollinem ipſum, ut ita dicam, ſi Anglicè loqueretur, hunc quidem velle imitari. Porrò autem, ut iis ſtudiis, quæ homine ingenuo ſunt digniſſima, ſic et iis virtutibus, quæ ingenuum animum maximè exornant, eſt politiſſimus. En vir enim, quo nihil humanius, modeſtius, ſanctius: cujus neque mentitur oratio, neque vultus. En paterfamilias prudens, maritus continens, amicus fidelis, hoſpes liberalis, fautor et patronus literarum (eheu, jam ſeneſcentium!) munificus; quod ſatìs re declarat ſplendida illa librorum copia, quibus bibliothecam Ædis Chriſti adauxit: atque beneficium ideò erat amplius, quòd nemo meliùs aut utiliùs eo fruatur, quàm is ipſe, qui donavit. Neque verò eſt mirum, quòd in hôc clariſſimo viro tot animi dotes, tot-

que naturæ bona, optimarum artium ſtudiis exculta, reperiantur; quùm hæc omnia illi planè ſunt gentilitia. Quàm illuſtria enim ſunt avorum ejus, proavorum, atavorum nomina apud noſtros, apud exteros, apud eruditos omnes! Adeò ut hic unus fortaſſe de tot nobilibus ſui temporis ab ſtirpe ipſius Philoſophiæ oriundus eſſe videatur. Sed jam, miſſis ceteris, quem civem cernimus, quem ſenatorem! diligentem, frugi, ſagacem, incorruptum; pro cauſâ patriæ, pro ſalute populi pertinaciſſimum: tum maximè, quùm * PLUTUS iſte, iſte ſiniſter loci Genius omni ſcelere, ac pro ſuo arbitrio, Britanniam noſtram lacerabat. Hoc eſt, quod vobis (vobis enim ſcio quàm ſit acer et conſtans libertatis amor) de meliore notâ nobilem commendet; hoc eſt, quod Academicum: et magnæ quidem hoc vobis gloriæ duco, quòd nemo ad hunc uſque diem de Academiâ

* De PLUTO vide TEMPLUM LIBERTATIS.

potuit benè mereri, qui non optimè meritus eſt de Republicâ. Siquidem parùm eſt, quòd quis ſit comis et generoſus, niſi eſt bonus civis: et parùm proſunt, parùm profectò proſunt liberaliſſima ſtudia, et maximarum rerum ſcientia, et maximarum virtutum exercitationes, niſi noſtros impellunt animos incenduntque ad conſervandam libertatem. Itaque nihil magìs in homine hôc præſtantiſſimo laudandum eſſe cenſeo, quàm ſuam erga patriam pietatem: nihil ipſe magìs (et hoc ſemper erit moris mei) laudare geſtio; nequaquam metuens aut vituperationem, aut odium iſtorum, qui hanc laudationem meam propter ſua facinora ad contumeliam accipiant; ac, cùm eximii hujus viri prædicantur virtutes, ſua vitia ſibi exprobrari putent. Rectè equidem et callidè putant. Haud enim ſatis dignè collaudandi ſunt optimi cives, qualis hic eſt, niſi inſigniter ſatis notentur peſſimi, quales ſunt, qua-

les ſunt---At vos noviſtis homines ; noviſtis pecunioſos iſtos, ſed et ſordidos homines, qui oratorio ſuo ingenio, id quicquid eſt, et ſenatoriâ ſuâ potentiâ, quæ maxima eſt, ad perniciem patriæ utuntur ; et libertatem idcircò defenſitaverunt vehementer, ut eam tandem prodant turpiſſimè. Noviſtis homines, qui ſe primos omnium eſſe contendunt, proceres, antiſtites, principes Reipublicæ ; qui tamen ſimulatione pietatis nihil non impiè faciunt, et ſimulatione publicæ utilitatis omnia (pro dolor !) ſanè apta eſſe vident ſuis commodis ſuoque imperio. Verùm plura vetat optimi hujus viri verecundia, fortaſſe et ætas mea, quæ nunc quidem malè ſuſtinet oratoris partes. At vos, ſi laudationibus meis faveatis, ignoſcite, quæſo, meæ indignationi ; quæ, ſiqua eſt, eſt honeſtiſſima ; quum unum quidem hoc cogito non tantùm in hâc oratiunculâ, ſed in omnibus ſcriptis meis, et in omni vitâ ; ut ſatisfaciam opi-

nioni

nioni veſtræ, et præſtem eam, quam Reipublicæ, quam Academiæ, quam ingenio huic excellenti et ſummo meo amico debeo reverentiam. Atque, ut vobis eſt pulcherrimum, illuſtrem hunc COMITEM in veſtrum ſenatum legiſſe; (illuſtriorem ſanè legiſtis nunquam) ſic mihi quidem eſt gratiſſimum eum virum, quem meritò et arctiſſimè diligo, juſſu veſtro *Vobis præſentare, ut admittatur ad Gradum Doctoris in jure civili, honoris causâ.*

F I N I S.

B L

ORATIO

Habita in Theatro Sheldoniano

Idibus Aprilibus, MDCCXLIX.

EDITIO ALTERA.

EDITIO ALTERA.

Iulius Phrilippus. MDCCXLIX.

Harpis in Tragico Sardonismo

ORATIO

ORATIO

IN

THEATRO SHELDONIANO

Habita Idibus Aprilibus, MDCCXLIX.

DIE DEDICATIONIS

BIBLIOTHECÆ RADCLIVIANÆ.

Suſcepto negotio, majus mihi quiddam propoſui, in quo meam in Rempublicam voluntatem populus perſpicere poſſet. Cicero.

LONDINI,

Apud J. Clarke, & W. Owen.


OXONII,

Apud J. Fletcher, & S. Parker. Mdccl.

ORATIO

SPERO ME IMPETRARE POSSE AB ERUDITORUM OMNIUM ÆQUITATE, UT NEQUIS, ME INVITO, HANC ORATIONEM IN SERMONEM PATRIUM VERTAT.

BL



Gul.s Green Iun.r Delin.

I.Wood Sculp.

NOBILISSIMIS & ILLUSTRISSIMIS

VIRIS,

CAROLO NOEL Duci de *Beaufort*,

EDVARDO Comiti de *Oxford* & *Mortimer*,

GUALTERO WAGSTAFF BAGOT *Baronetto*,

WATKIN WILLIAMS WYNN *Baronetto*,

EDVARDO SMYTH *Armigero*,

JOHANNIS RADCLIVII, *M. D.*

Teſtamenti Curatoribus;

Bona, læta, & proſpera omnia precatus,

Hanc ORATIONEM

D. D.

GUILIELMUS KING.



ORATIO.



Elegatum hoc mihi officium quum minimè ſuſcipiendum eſſe putarem, quippe verebar infirmus et oblivioſus ſenex, et climactericum jam excedens annum, ut quid dignum aut judicio veſtro, ACADEMICI, aut elegantiâ illuſtriſſimi hujus cœtûs proferrem; ſanè quidem adductus ſum eâ, quâ vos me ſemper

 profe-

profequuti eſtis benevolentiâ, et * ampliſſimorum virorum et optimorum civium admonitu, qui ſemper mihi pro ratione ſufficiet, ut nequâ hodie aut valetudinis aut ætatis meæ excuſatione vellem uti.

HANC extremam igitur à vobis veniam peto: at, quoniam oratorium iſtud mihi deeſt ingenium, quod in templis, in foro, in ſenatu magno dominatur; quod optimè ſuis commodis inſervit, nunc grandem ſibi conficiendo pecuniam, nunc aditum faciendo ad omnes honores reipublicæ; ipſe præcipuè nitar, neceſſe eſt, (et vos concedite) libero illo ſpiritu, quem jam à primâ adoleſcentiâ nunquam mihi abfuiſſe liceat gloriari; qui amare patriam, venerari Academiam nunquam deſiit; quique vires et facultatem ſuppeditare, et ſermones meos, ii qualeſcunque ſunt, dictare, et regere ſolet.

* RADCLIVIANI teſtamenti curatorum; qui etiam aſſenſu et judicio ſuo hanc orationem comprobârunt: quo nihil mihi jucundius poſſet accidere, nihil majori laudi et præſidio mihi fore duco.

NEQUE

NEQUE ego quenquam arbitror aut malos viros ſatìs rectè reprehendere, aut bonos ſatìs dignè laudare poſſe, niſi qui firmatâ ſit mente et ſimpliciſſimâ; qui fortiter et conſtanter ſentire, liberè ſed pudenter loqui ſe aſſuefecerit; quique à potentibus iſtis, penes quos eſt ſumma rerum, petat nihil, ſperet nihil, et recti verique ſibi conſcius metuat nihil.

SUNT enim, quos cùm offenderit omnis vituperatio et reprehenſio alienæ culpæ, utpote in ſe ipſos facilè derivandæ, tum neque illis jucundæ erunt alienæ laudes, quibus quis veriſſimis juſtiſſimiſque ornatur, ut quæ ſibi et ſuis moribus et rebus geſtis haud quidem aptæ ſint et conſentaneæ.

NAM laudatio, quanquam eſt orationis genus minimè contentioſum, ſemper tamen exagitat, et

pungit improbos, invidos, ingratos, avaros, et iſtos omnes, qui diſſimillimi ſunt eorum, qui laudantur; nî fortaſſe tales ſint, ad quorum aures nihil de infamiâ ſuâ pervenerit, aut quorum animis malæ conſuetudinis vis inveterata callum obduxerit.

ATQUE hodie, cùm in hac magnificentiâ rerum ad RADCLIVII laudes celebrandas accingamur, cùm immortalia ſua beneficia in nos collata commemoremus, abeſſe non poteſt, quin pecunioſiſſimi iſti homines, medici, juriſconſulti, reverendi iſti ſacerdotes ac reverendiſſimi, qui omnia almæ huic Academiæ debent, nihil tamen reddunt, ſibi exprobrari ſentiant de immemori officio.

RECTE ſanè, veréque ſentiunt. Neque tamen cauſa convitii quæritur, neque poſtulatum eſt, ut ii, qui RADCLIVIUM opibus et cenſu æquant,

eum

eum etiam naturæ dotibus et virtutibus ingenii exæquent. Satìs præſtant Oxonienſes alumni, ſi ſe gratos præbeant optimæ parenti. Dent pro facultatibus: dent decimas: dent viceſimas: ſaltem, hôc adverſiſſimo Academiæ tempore, dent operam et auxilium; et in annalibus noſtris benigniſſimi liberaliſſimique habeantur, et prædicentur.

Is enim magno, excelſo, et prope dicam, divino ſit animo oportet, qui RADCLIVIUM æmulari cupiat, ſeque immortalitati et ſempiternæ gloriæ commendare tam incredibilem liberalitatem pietatemque imitando: vir qualis ſemel anno centeſimo naſcitur; et, ſi privatus eſſe debeat, ſemel ſexcenteſimo. Et mehercule iſthæc, * quam modò contemplati ſumus, perampla et magnifica

* Pompa Academica ex bibliothecâ *Radclivianâ* in theatrum *Sheldonianum* deſcenderat.

bibli-

bibliotheca regium eſſet aut principum virorum opus, ſi olim fuiſſet; quum principes eſſent munifici, quum literarum fautores, quum ipſi etiam bonarum artium ſtudiis haud mediocriter imbuti; quum tale monumentum extruendo ſe humano generi optimè conſuluiſſe intelligerent, et maximum beneficium tum accepiſſe, ſi doctis et benè merentibus darent.

QUINETIAM hanc, et alias omnes RADCLIVIANAS donationes ideo vobis gratiores fore exiſtimo, quòd pecunia omnis, quæ erogata eſt (erogata eſt autem non temerè, aut impetu quodam, ſed optimo animi judicio) in iſtas ſumptuoſas ædes, * in collegium Univerſitatis, in alimenta

* Supra veſtibulum collegii Univerſitatis collocata eſt RADCLIVII ſtatua, in cujus baſi hoc inciſum eſt elogium:

En intra ſua mœnia votiva RADCLIVIUM!
Qui Collegium hoc
Divino ingenio alumnus olim ornavit,
Benevolentiâ dein, quoad vixit, ſummâ fovit,
Munificentiâ pari moriens amplificavit.

Aca-

Academicorum, qui quinquennium in nobili peregrinatione consumere jubentur, haud quidem constructa et coacervata fuerat furtis et dolis, aut turpissimis venditionibus, aut iniquissimo fœnore, aut hæredipetarum artificiis, nedum rapinis, et bello piratico; sed benè et honestè parta, laboribus et vigiliis, virtute et doctrinâ, et eâ gloriosâ arte exercendâ, quæ morbis et incommodis hominum medetur, et quam propter beneficium et excellentiam omnes gentes, reges, nationes deo auctori consecratam esse voluerunt.

At verò hunc egregium medicum adeò prædiis et argento locupletatum fuisse, minimè quidem est mirandum; cui, quasi ipsi Æsculapio, omnes undique dona afferebant, ab illo, tanquam ab aliquo numine, medicinam et curationem petentes: quippe qui non modò ea omnia, quæ ad

hanc

hanc medendi ſcientiam pertineant, ſummâ animi ratione viſus eſt comprehendere; ſed ſanè in homine inerat cùm magna quædam vis et ingenii acumen, tum ſagacitas tanta in morborum cauſis inveniendis (ſive id à naturâ habuit, ſive à doctrinâ) ut certam ægris, qui ſanabiles eſſent, daret ſalutem. Atque adeò, cùm quædam fortaſſe communia RADCLIVIO cum præſtantibus ſui ſeculi medicis fuiſſent; eruditio, prudentia, humanitas, hoſpitalitas: hoc certè præcipuum ejus fuit, quod ingraveſcentes morbos quàm acutiſſimè ſemper præſenſerat *. Ad hæc tam ſimplici et aperto erat pectore, ut, abhorrens ab aliorum conſuetudine, nihil ſimularet aut diſſimularet, nihil ægrotantibus ſycophantiosè faceret, aut diceret ad captandum favorem, ne regibus quidem; ſed

* In hâc re non pluribus moror; de quâ vir eruditiſſimus, qui ante me dixit, et ipſe ſanè fidelis et peritus medicus, ornatè diſſeruit, noſque docuit, quàm acutè RADCLIVIUS noſter conjiceret morborum omnium naturam.

ex

ex animo omnia, planiſſimè veriſſiméque. Ex quo illud aſſequebatur, ut fides ſua et integritas eſſet ſpectatiſſima; utque ii, quibus remedia adhibebat, res familiares et domeſticas placidè et ordinatè diſponerent; liberis, propinquis, amicis benè conſulerent; et, ſive convaleſcerent, ſive mortem obirent, ſumma gratia illuſtri medico haberetur. Quamobrem non modò opinione vulgi, ſed graviſſimorum virorum judicio, is cùm in arte ſuâ, tum etiam in civitate ſuâ primas facilè tulit: et, quanquam in Britanniâ noſtrâ ſemper floruerunt, et nunc florent medici peritiſſimi doctiſſimique, conceſſum tamen ab omnibus arbitror, neminem quemquam ad RADCLIVII famam olim proceſſiſſe, aut poſthæc proceſſurum.

SED et hanc ſuam famam et gloriam ſummam, et poſſeſſiones et ſpes ſuas omnes vir optimus do-

navit pietati; quæ ſola iſtud, quo deceſſit, et quo rempublicam et Academiam ſibi hæredem inſtituit, honeſtiſſimum ſcripſit teſtamentum. Ex quo fit, ut, poſtquam corpora hominum deſiit fanare, ψυχῆς ἰατρεῖον, ad exemplum magni illius * regis Ægypti, civibus ſuis paraverit. Ex quo fit, ut mors ejus, quàm vita (laudatiſſimè licet hæc ſit acta) fuerit illuſtrior; unâ re tamen exceptâ, quam leviter mox attingam. Porrò autem in magnâ ejus laude ponendum eſt, quòd ſedulò cavit, ut hujus teſtamenti jus in omne tempus firmum et inviolatum foret probatiſſimos eos cives deligendo, qui voluntatem defuncti religioſiſſimè cuſtodirent, et providendo, ut iis à ſimilibus ſemper ſuccederetur.

Qua verò curâ, et quo prudenti conſilio id pro-

* Osymanduas *Ægypti rex inter alia opera præclara ſacram bibliothecam ſtruxit, et in ejus fronte præſcripſit,* ψυχῆς ἰατρεῖον, Animi medica officina. Sic Lipſius ex Diodoro in Syntagmate de Bibliothecis.

viſum

viſum ſit, omnes nos quidem ſcimus, nec quiſquam dubitabit, ſi in eos intueatur, qui res RADCLIVIANAS nunc adminiſtrant, et RADCLIVIANAM bibliothecam exædificandam, atque hodie dedicandam curârunt. Qui enim viri! qui cives! qui ſenatores! quàm illuſtres, graves, diligentes! Quàm —— Sed eorum verecundiam, quum ipſi interſint meo ſermoni, non auſim laudibus coràm onerare eximias ſuas virtutes prædicando: quarum et voſmet ipſi, ACADEMICI, univerſis veſtris ſuffragiis decretiſque ampliſſimum teſtimonium olim tribuiſtis. Pertinet autem ad exemplum dicere; ſiqui, præſtantiſſimis hiſce viris ſimiles, excellentem animum omni liberali doctrinâ excoluerint, cui etiam acceſſerit ſumma vitæ integritas et elegantia, mira comitas ſuavitaſque morum, et, quod caput eſt omnium, ſingularis in patriam amor, et perpetua in hanc Academiam be-

nevolentia; ii ſibi concilient neceſſe eſt eam dignitatem, quæ eſt maximè expetenda, gratiamque bonorum omnium, non modò civium ſuorum eorumque, quibuſcum neceſſitudinem conjunxerint, ſed quibus nomine et famâ noti fuerint.

Mirum eſt igitur, ni indoluerint Academici noſtri, prudentiſſimis hiſce et integerrimis Radcliviani teſtamenti curatoribus haud concedi poteſtatem eligendi bibliothecarium ſuum. De hâc re aut malè judicâſſe, aut planè errâſſe videtur Radclivius noſter. Quid enim? Quibus tot poſſeſſiones, tanta pecunia ac tota hæreditas credebatur, nonne iis alia omnia eſſent concredenda? Sed lubricus mehercule hic eſt dicendi locus, neque plura nunc adjicere mihi commodum erit: ſed neque apud vos, ſi in egregio hoc medico aliquid ſit reprehenſum, minùs valeat opinio aut liberalitatis ejus aut pietatis.

Nunc verò, dum ſuperbam et ſplendidam hanc bibliothecam admiramur, vobis, VIRI ILLUSTRISSIMI, liceat adjungere veſtrum tanti operis miniſtrum, clariſſimum ſcilicet * architectum; cujus conſummatam artem et hoc ipſum opus, et cætera lautiſſima ædificia, tum publica tum privata, quibus extruendis ille præfuit in Londino, in Cantabrigiâ, atque in aliis hujus inſulæ locis celeberrimis, ſatìs oſtendunt, commendantque. Ego verò, ſicut meretur, hominem amo veterem meum hoſpitem, quem humaniſſimum et amiciſſimum cognovi, et non modò architecturæ, ſed omnis vetuſtatis et multarum rerum benè peritum.

De fructu diuturno hujus donationis, et honeſtis opportunitatibus utilitatibuſque publicarum, quotquot ſunt, bibliothecarum, mitto loqui. Idcirco mitto, quia id ipſum viri ingenioſiſſimi, quo-

* Jacobum Gibbs.

rum

rum eſt officium Bodleio noſtro laudes anniverſarias dicere, accuratis politiſque orationibus ſæpe vobis explicârunt, ſæpe etiam explicituri: et quia eſt omnibus perſpicuum ſine his adjumentis nos ex moribus noſtris Britannorum veterum, Saxonum et Normannorum barbariem non delere, aliorum non ferre potuiſſe. Immo etiam abſque hâc unâ re foret, non modò omnium gentium hiſtoriæ, annales, chartæ, monumenta et acta publica, ſed ingenuæ artes, deliciæ et gloria veſtra, ACADEMICI, et reconditarum literarum ſtudia, et omnium magnarum rerum ſcientia jamdudum fuiſſent extincta.

ITAQUE verbis exprimere non poſſum, quantum debeamus doctiſſimis et munificentiſſimis illis viris, qui ad conſtituendas Academias, ad ædificandas ornandaſque bibliothecas totque literarum

do-

domicilia, tantum laborem, curam, pecuniam impenderunt. Quid commemorem ampliſſimam eam Alexandrinam bibliothecam? Quid Attalicam? Quid Græcas omnes? Quid Romanas, tum veteres, tum recentes? Hoc autem memoratu digniſſimum eſſe puto, primam apud Romanos bibliothecam publicam inſtructam fuiſſe in atrio templi Libertatis: quo ſignificari voluit nobilis et eruditus * ſenator, qui atrium refecit, et eam bibliothecam dicavit, ibi ſolum eſſe literis locum, ubi libertati eſt locus. Hujus viri, et horum omnium memoriam, horum verò præcipuè, qui hanc Academiam, qui tantam congeriem librorum, qui diſciplinam noſtram tam pulchrè et præclarè fun-

* Asinius Pollio, vir doctus, et præclarus orator, *primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit*, Plin. L. 35. C. 2. Hanc autem bibliothecam concinnavit, et inſtruxit in atrio templi Libertatis; quod quidem atrium ad hunc uſum magnificenter refecerat. Dedicatum eſt atrium Libertatis Idibus Aprilibus. Idibus Aprilibus dedicata eſt bibliotheca Radcliviana: quod in ſecundum omen, tempore minùs formidoloſo, eſſet accipiendum.

datam

datam nobis reliquerunt, ſemper inviolatè ſervemus; ut quos ornamenta ſui ſeculi, et decora humani generis, et illuſtriſſimos orbis heroas eſſe confiteamur; ſemper quidem anteferendos heroibus iſtis, exteris ſcilicet (noſtros enim, uti par eſt, ſemper excipio) qui quum cæde hominum et everſione urbium maximè delectentur, et non modò hoſtibus ſed ſuis moliantur exitium, inde tamen nomen et gloriam quærunt; et ſanè expectant, poſtulantque, ut ſummâ obſervantiâ, etiam ſumptuosè, ab omnibus colantur.

HOSCINE ut colat populus? Hoſcine verò ut nos Oxonienſes colamus? qui celeberrimæ huic Academiæ, cujus honori invident, et literis ipſis, quas neſciunt, ſunt inimiciſſimi; qui antiquiſſima hujus loci monumenta ſpoliare, in poſſeſſiones noſtras irruere, et pulcherrima hæc ædificia in

equo-

equorum ſtabula convertere optarent. Quàm me pudet igitur turpis iſtius oratorum et poetarum aſſentationis, quæ in heroicis iſtis ætatibus, et in omnibus ætatibus, tales viros, immanitate naturæ inſignes, ſemideos fecit et prædicavit; quos ego quidem, et mecum ſentiunt boni omnes, vix unquam animum induxi, ut homines putarem!

At quid ſi hi glorioſi milites, Alexandri et Cæſares, id eſt, perpetuò victores fuerint? Fuerint ſanè: nihil muto de ſententiâ meâ. Quo enim bello opima præda et principum gloria, non imperii populique ſalus fuit propoſita, quo bello florens reſpublica aut libera civitas ab iis, quos nullis laceſſivit injuriis, fuit exterminanda, id iniquiſſimum duco et ſceleratiſſimè ſuſceptum. Quid eſt enim, ſi hoc non eſt ſcelus? Atque adeò nunc quum in animo cogito, quæ res modò geſtæ ſint in omnibus Eu-

ropæ regionibus, quum animo contemplor tot munitas et expugnatas urbes, tot incendia et vaſtationes, tot pugnas et rapinas, tot denique millia hominum cæſa quotannis, ſine ullâ dubitatione ſic ſtatuo: Qui primus invenit, quo artificio fingatur olla fictilis, aut texatur qualus vimineus, eum multò meliùs meruiſſe de omnibus gentibus, quàm omnes duces (niſi qui pro patriâ pugnaverint, quales ſunt noſtri; et quos id propterea libenter fecerno) quam omnes, inquam, duces, imperatores, etiam victores, qui nunc ſunt, quique fuerunt. Porrò autem mecum reputanti, quid vox veneranda, quid lex coeleſtis domini noſtri Jeſu Chriſti præceperit, ſanè mihi videntur hi bellicoſiſſimi heroes terrarumque domini nihil dilexiſſe præter ſemetipſos, omnia metuiſſe præter deum.

Sed ad me revertor, ne fortaſſe mihi excidat,

quod

quod RADCLIVIO noſtro ſummo quidem honori fuiſſe arbitror; nimirum, quòd extrema vitæ tempora, quæ nos ſenes nobis debemus, quæ otio et quieti, ille impertivit patriæ; et, cùm nullâ impulſus eſſet ambitione, aut ſpe honorum (quos ſanè contemnebat omnes) ita ſe geſſit in republicâ, ut ſemper eſſet meliorum partium, et nunquam non ſerviret libertatis cauſæ et dignitati ſuæ. Tum verò de civibus ſuis optimè meruit, poſtquam in eum cooptatus eſt ſenatum, atque iis interfuit conſiliis, quæ orbi Chriſtiano, bellis jam fatigato, pacem æquiſſimam, honeſtiſſimam ac nobis utiliſſimam redderent, conficerentque. Et ſæpiſſime mihi gratulor me vixiſſe illis temporibus, quum neminem hominem Britannum puderet ſeculi; quum curia patrum eſſet ſanctiſſima, et ſummâ auctoritate prædita, et non tam publicum gentis concilium, quam tutela et ſalus

DUM enim Britannis antiqua manebat frugalitas et diſciplina, atque ardens libertatis conſervandæ ſtudium, ceteræ hujus inſulæ civitates idem ac vos, ACADEMICI, de ſenatoribus eligendis ſibi cavendum et providendum cenſebant; diligenterque perpendebant, qui et quales eſſent candidati, quo genere et loco nati, quo educati more, quibus ingenii, quibus patrimonii facultatibus, maximè verò quo animo eſſent in rempublicam; nequis minùs aptus ad hoc ornatiſſimum munus deligeretur, qui præmiis aut ſpe præmiorum, qui blanditiis aut minis potentium commoveri, atque à caritate patriæ flecti, et deduci poſſet.

NUNC verò, quàm immutata ſunt omnia! quàm nullum habet populus corruptiſſimus pudorem, nullam omnino priſtinæ ſuæ majeſtatis aut ſalutis communis rationem! Qui ſuffragia ſua, ſæpe etiam

am et perjuria ſua, tam palam atque apertè vendit, quàm qui piſces et carnes in macello vendunt. Si quæritis, quid ſit cauſæ, quamobrem plebs noſtra ita turpiter ſe inverterit, uſque adeò degeneraverit ab inſtitutis et gloriâ majorum, uno verbo reſpondeam, LUXURIES; quæ à domo ſuâ ad omnes ordines hominum, etiam infimos manavit; et unde nata eſt ea mollities et inertia animi vix quidem in fœminis reperienda, ea crudelitas et carnificina neutiquam ſanè in exteros hoſtes exercenda.

HINC in oppidis, in agris, ad minima, ad maxima voluntati divitum obtemperatur. Hinc in eam amentiam inciderunt aliquarum urbium incolæ, ut quos improbiſſimos et patriæ infenſiſſimos ducebant, iis ſe totos tradiderint. Hinc et iſti ſanè mirifici cives, qui ſe præ ceteris candidos, pios,

etiam insúper eloquentes haberi vellent, et fortasse sunt habiti, pudore omni jam extincto, vultus, animos, sermones, quasi Circæâ virgâ percussi, subitò mutârunt.

HINC —— —— PLURA paranti dicere et volenti (non tam more senum, quam quòd nihil est jucundius, quàm vera dicere) mehercule pertimescendum est, ne vocem mihi eripiant immanissimi lupi,

Et me VIDERE PRIORES *;

detestabiles scilicet isti delatores, qui ita res nostras modò turbârunt, ut suâ cum infamiâ Academiæ dedecus conjungere sperarent; quod tamen effici, nisi summâ perfidiâ, non potest. Quòd clarissimum Vicecancellarium accusaverint, atque ita quidem, ut haud sit gravius ullum supplicii genus, quàm ea ipsa accusatio, id dolere ma-

* *Vox quoque Moerim*
Jam fugit ipsa t LUPI *Moerim videre priores.* Virgil. Ecl. ix.

gis,

gis, an ei gratulari debeam, haud ſatis ſcio. Videtur enim fortuna hunc excellentem hominem ab initio tot malis exercuiſſe, ut virtutes ejus ſpectatiores forent. Si quæ enim res aliæ, certè equidem adverſæ virum magnum faciunt, oſtenduntque.

At, ne miremini unde tales viri et omnes calumniatores noſtri patrocinium invenerint, aut quâ ratione quoſdam purpuratos ad amicitiam ſuam adjunxerint; eſt curæ pretium intelligere, hos et illos, diſſimili ſint quamvis ordine et fortunâ, vitâ tamen et moribus eſſe quàm ſimillimos. Præterea autem non poteſt fieri, quin ii, qui liberalem doctrinam virtutemque ipſam ſemper malè oderunt, haſce ſedes, liberali omni doctrinâ et virtute ornatiſſimas, apertè oderint. Non poteſt fieri, quin ii, qui flagitiis ſuis ſummum dedecus genti imprimere ſtatuerunt, inclytam hanc Academiam,

miam, ſummum gentis decus atque gloriam, omnibus contumeliis imprimis lacerandam eſſe cenſeant.

Ad hæc quoque mala accedit, quòd non ſolùm iſti omnes, qui deficiunt à republicâ, illico ab Academiâ deficiunt; non ſolùm ii, qui communibus ſtudiis, officiis et periculis nobis conjunctiſſimi eſſe debent, jam turpiter cauſam noſtram deſerunt; verùm etiam complures in ſinu almæ matris noſtræ educati, quique quotidianis ejus fructibus aluntur et creſcunt, eam tamen, ut viam ſibi muniant ad opes et honores adipiſcendos, mente infideliſſimâ et paricidali aggrediuntur: qui, peſtes hominum, faciunt, ut gratulationes laudationeſque, quas ex more nos decernimus ſive ad præſtandum officium, ſive ad ineundam gratiam, fruſtra ſint, repudientur, etiam lo-

co criminis putentur: qui denique nefariis ſuis conſiliis, concionibus, falſimoniis, et famoſis epiſtolis adjuvant, augentque eorum omnium, qui inſitas et apertas inimicitias nobiſcum gerunt, ſcelus et inſaniam.

At non eſt hodie ſpatium de pravitate horum hominum et injuriis conquerendi, ac permittendi vela dolori meo. In iis igitur libris, quibus Academiam defendere cogito, modò mihi ſuppetat vita, in acerrimos iſtos adverſarios, et obtrectatores noſtros ſtudioſiùs et liberiùs inquiram. Quo enimverò liberalis viri, Academici præſertim, fungar officium; gratum quid præterea (id quod ſpero) divino numini facturus. Qui enim, cùm optimas artes aſpernantur, tum optimorum virorum famam et exiſtimationem impudentiſſimis mendaciis probriſque omnibus auſi ſunt violare,

eos non tam hominibus, quàm deo ipſi inimiciſſimos eſſe arbitror.

NUNC verò, ſiqui hic adſunt, urbanioris notæ homines, quibus oratio mea intempeſtiva videatur, aut de recto itinere paululùm declinâſſe, (etſi quæ eſt ea declinatio, quæ causâ patriæ, aut causâ Academiæ facta eſt?) ſciant iſti, hæc quidem minimè prætereunda ideo me exiſtimâſſe, quia quæ conſilia aut horum ambitio, aut illorum aſſentatio, aut venalis populi avarities malè excogitaverit, ea omnia vos, CLARISSIMI VIRI, VOS, RADCLIVIANI teſtamenti curatores, quæ veſtra fuit pietas et prudentia et laus maxima, fortiter oppugnaviſtis; ea omnia, quæ veſtra eſt animi conſtantia, ſemper oppugnaturi.

QUOD ſi neque vos, neque ſocii veſtri quid pro-

profeciſtis ſuffragiis, querelis, expoſtulationibus, virtute, aut authoritate veſtrâ, id quidem, non præclaris noſtris reipublicæ cuſtodibus, (quos ego ſanè quàm diligenter obſervo omnes) ſed difficillimo huic tempori, et ſeculi moribus et vitiis, et invido cuidam et ſiniſtro fato aſſignari oportet.

Sive enim exterorum hoſtium furor, et fortuna, et politica calliditas ita omnia everterunt, ſive alii homines eâ temeritate et arrogantiâ rerum habenas rexerunt, ut totum noſtrum primùm inflammârint, deinde ſpoliârint orbem; hunc reficere, et reſtaurare non eſt novorum conſiliorum, non eſt optimorum, non eſt, profectò non eſt humanarum virium. Dei ſolius ope tot malis, tantæque ruinæ poteſt ſubveniri.

QUAPROPTER, quoniam in hunc ſtatum planè pervenimus, ut nihil niſi preces et vota res noſtras adjuvare, aut nobis ſupereſſe videantur, quo honeſtiſſimum finem et ipſe ſermoni meo faciam, et vos præſens et præclarum exemplum pietatis veſtræ prodatis, ad ea confugiamus *.

* Hucuſque orationem hanc excudendam curavi, quum gravis mihi allatus eſt nuntius clariſſimum *Baronettum*,

WATKIN WILLIAMS WYNN,

(cujus venerabile nomen in fronte hujus opuſculi eſt inſcriptum, quemque vos, RADCLIVIANI teſtamenti curatores, conſiliorum, laudum, et omnium rerum veſtrarum ſocium habuiſtis) diem ſuum obiiſſe, etiam acerbiſſimâ morte eſſe affectum.

EHEU! QUALIS VIR, ET QUANTUS INTERIIT!

Quàm illuſtre pietatis veteris exemplum! quàm diligens libertatis publicæ propugnator! quàm fortis, quàm paratus Academiæ noſtræ defenſor et patronus! Qui ex iis erat, (ô tempora! quæ eorum paucitas!) qui virtutem propter ſeipſam expeteret, et ſplendoris aulici inſignia, titulosque omnes, cùm omnibus tamen par erat, recuſaret. Omnes; niſi quos recuſare neutiquam poſſet: quos populi ſcilicet vox æquiſſima magnis ejus meritis detuliſſet, graviſſimorum civium ſententia comprobâſſet. Siquidem perfecerat inclytus hic ſenator incredibili magnitudine animi et conſilii, et perpetuis in rempublicam ſtudiis officiiſque (à quibus quid aliquando boni ſperandum non oportebat?) ut REIPUBLICÆ PARENS, ac PATRIÆ PATER verè diceretur. Perfecerat raris naturæ et ingenii dotibus, æquabilitate et elegantiâ vitæ, et eximiis ſanè moribus (eo enim nihil probius, caſtius, comius, verecundius, liberalius) ut non tam regionis ſuæ, aut gentis unius, quam GENERIS HUMANI

DECUS

REDEAT (neque me fugit hoc verbum meum, quippe meum, ab inficetis et malevolis viris improbari; iterandum eſt tamen) REDEAT nobis Aſtræa noſtra, aut quocunque nomine malit vocari ipſa Juſtitia; non quidem fabuloſa illa, ſed Chriſtianiſſima virgo, ſi non genetrix, certè equidem cuſtos virtutum omnium!

DECUS foret. Quo minùs mirum eſt, ſi eum gratiæ et dignitatis gradum, atque id quidem faſtigium teneret privatus, quod nemo hercle ſatraparum, pontificum, aut principum quiſquam.

EHEU! QUALIS VIR, ET QUANTUS INTERIIT!

Quem patremfamiliæ nunc requirit domus ſua! quem hoſpites hoſpitem! quem ego amicum! quàm firmum, facilem, jucundum! Cujus mors ſemper deflenda, cujus laudes ſemper celebrandæ, cujus memoria ſemper mihi ſacroſancta erit: mihi, inquam, et omnibus omnium ordinum, ampliſſimorum, infimorum. Qui enim haud quemquam unum vivus habuit inimicum, niſi qui huic reipublicæ, et Britanno nomini eſſet inimiciſſimus; ejus fato haud quemquam unum puto lætari poſſe, niſi qui homo ſit flagitioſiſſimus, atque ita ferreus et inhumanus, ut cunctarum rerum everſione, et universâ pereunte naturâ lætaretur. At hoc tamen et mei, et publici luctûs acerbitatem quodammodò levare poteſt (ſiquid poteſt) quòd civis hic excellentiſſimus deceſſit integrâ famâ, atque optimæ mentis conſcientiâ fretus; felix etiam (quippe in ipſo cuncta inerant ad honeſtè et beatè vivendum) uſque ad extremam vitæ horam. Atque adeò, tot jam imminentibus procellis, qui deum ſanctè et aſſiduè eſt veneratus, eum profectò deus videtur ex improviſo eripuiſſe, ut in tuto ac tranquillo portu collocaret; utque, magnorum ſcelerum qui conſtantiſſimè noluit eſſe particeps, eorum ne quidem teſtis eſſet futurus.

REDEAT

REDEAT ſimul magnus ille Genius Britanniæ, (ſive is ſit nuncius, ſive ſit ipſe ſpiritus dei) firmiſſimum libertatis et relligionis præſidium; amandetque procul (ô procul!) à civibus noſtris graſſationes, cædes, rapinas, peſtilentes annos, ſuperbas dominationes, infames delatores, et mala omnia!

REDEAT, efficiatque, ut revireſcat reſpublica, revocetur fides, firmetur pax, ſanciantur leges juſtæ, honeſtæ, ſalutares, utiles, quæ deterreant improbos, coerceant milites, faveant doctis, ignoſcant imprudentibus, ſublevent egenos, delectent omnes; omnes nunc demum à periculis litium ita liberando, ut nequis omnino unquam civis ingenuus, innocens, indemnatus vexetur, multetur, ſpolietur *!

* O! honoratum, ſemper et honorandum prudentiſſimi illius regis Boruſſiæ nomen! qui ſe et auctoritatem ſuam interponendo, ſpem omnem et litigandi licentiam præcidit; ſuoſque populos, et provincias omnes, quæ in ejus ditionem venerunt, ſalutari ſuâ manu liberavit ab iſtis

REDEAT, efficiatque, cùm nihil hôc conventu cernere eſt illuſtrius, ut cæteri cives, et ii maximè ſcilicet, quibus aula et curia patet, pares ſint * honeſtiſſimis hiſce ſenatoribus, pares ſint vobis, ACADEMICI, ſi non ingenii et doctrinæ gloriâ, at probitate et induſtriâ, at magnitudine animi, at libertatis ſtudio! Ut fœminæ omnes ſint quàm ſimillimæ præſtanti huic Nympharum cohorti, ſi non ſpecie et pulchritudine oris, at pudicitiâ et ſanctimoniâ, at corporis cultu, at morum elegantiâ! Ut deinde populus noſter univerſus ſit laborioſiſſimus ac temperantiſſimus, et aliquando tandem cum bonorum conſiliis conſentiat ad conſervandam imperii majeſtatem: utque

iſtis hominum peſtibus, quæ mehercules magis ſunt metuendæ, quàm barbarorum exercitus, aut innumerabilia ea locuſtarum agmina, quæ Germanorum agros hodie deprædantur.

* Frequentiſſimum erat theatrum, et plurimi tum ultro aderant viri nobiles, et ſenatores omnium, quos vidimus, ornatiſſimi; qui ab almâ Academiâ, propter ſingularem ſuum erga patriam amorem, Doctores in Jure Civili ſunt creati, honoris causâ.


Britannia noſtra non tam ſuo mari, et claſſibus pulcherrimis inſtructiſſimiſque, (etſi his ipſis utinam uſque valeamus!) quàm incolarum robore ac virtute, et ſummâ rerum gerendarum prudentiâ muniatur!

REDEAT, efficiatque, ut in omne ævum alma hæc floreat Academia, uſque adeò, ut nihil eâ uſquam gentium ſit florentius, nihil præſtabilius! Ut juvenes noſtri ſint modeſti, frugi, ſtudioſi; ſenes ſint docti, graves, honeſti; neque hi, neque illi aut pravis opinionibus, aut divitiarum et honorum admiratione corrumpendi! Ut ſenatus hic Academicus ſemper ſervet conſtantiæ famam et tenorem ſuum; atque ab omni adulationis ſpecie, fœdiſſimâ ac nefariâ præſertim, omnino abhorrens, nihil cenſeat, aut temporum metu, aut aliorum more, bonis et ingenuis civibus indignum! Ut quandocunque

que Cancellario noſtro, nobiliſſimo atque optimo viro ſuccedatur, (ſerò utinam!) nequem nobis adſciſcamus dominum ſuperbum, immitem, avarum, indoctum, impium; ſed præfectum facilem et benignum, literis à pueritiâ deditum, rerum noſtrarum imprimis ſtudioſum, et cùm inclyto prognatum genere, tum virtutibus ac moribus ſuis genus exſuperantem! Ut Vicè-cancellarii munus ſemper deferatur viro ſancto, comi, erudito, firmo, (qualis præeſt hujus diei negotiis) qui partes officii ſui cumulatè impleat, et Academiæ dignitatem et ſuam ſuſtineat, ac tueatur! Ut, fractis aliquando perditorum hominum conſiliis, nequis in hoc loco, aut in ullo loco cum eâ poteſtate verſetur, eoque ſit infenſo animo, ut graviores plagas, nimiumque oneris nobis imponat; nedum jura noſtra aut ipſe violare audeat, aut alios ad ea violanda hortetur! Ut nequis deni-

que ambiat, aut aſſequatur Academicos honores, niſi qui fidem, diſciplinam, liberalitatem, literas et literatos diligentiſſimè colat ; niſi qui, cùm optimè conſulat, navetque operam reipublicæ, tum præcipuè Oxoniam noſtram officiis et beneficiis omnibus augere, et ornare ſtudeat!

FINIS.



AVITI
EPISTOLA

AD

PERILLAM,

VIRGINEM SCOTAM:

EDITORIS

ECPHRASI ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATA.

LONDINI, MDCCLX.

BL

EPISTOLA

AD

CLARISSIMUM VIRUM

D. IOANNEM

FRIDERICUM

GRONOVIUM.

VIRO ILLUSTRISSIMO &c.

MINUS decennium eſt, quòd Londini ſex ferè menſes ego commoratus, dulci tuo colloquio ſæpiſſimè fruebar, (neque ſpero te cepiſſe oblivionem conſuetudinis noſtræ) quò ingenium tuum, et liber ſpiritus, et animi candor ſatìs mihi eſſet perſpectus. Quapropter te potiſſimùm ex omnibus Britannis elegi, ad quem carmen hoc, paulò liberius, mitterem: Quod quidem ſi tu typis non indignum duxeris (indignum ſanè mihi viſum eſt, quod periret) bibliopolæ, ſive typographo cuivis Londinenſi imprimendum tradas licebit. Eſt autem, quod te monitum volo, hoſce, nimirùm, verſiculos ſcriptos fuiſſe ab Italo quodam juvene, quanquam ſe hominem Anglum ſimulat eſſe, et ſenem: Neque hanc, quam ſuſcepit perſonam, eum ineptè ſuſtinuiſſe, neque de civibus tuis malè meritum fuiſſe arbitror. Quamobrem nomen ac civitatem ſuam nos celaverit, cauſam vides. Etenim ità liberè locutus eſt, et jocatus de re ſeveriſſimâ, de religione et cultu Romano, ut ſiqui ex Pontificiis expiſcarentur, qui, et cujas ſit, omnia meherculè ei eſſent pertimeſcenda. Scis cuipiam licere more ſuo Romæ vivere, ſi modò taceat de religione, de ſummi Pontificis authoritate, de præſulum ſuperbiâ, de monachorum præſtigiis; qui, dum paupertatem, uti ſummum bonum, clamant, prædicant, præ ſe ferunt, vigilantes et dormientes aureos montes cogitant, et reperiunt.

De

De PERILLA (et hoc fortaſſe fictum eſt nomen) nihil compertum habeo. Scoti nobiles, hoſpites tui, de virgine eâ, ſiqua eſt, formosâ et eruditâ te certiorem faciant. Certè equidem tam raræ animi dotes prohibeant eam latere.

Quo caſu carmen hoc in manus meas pervenerit, haud operæ pretium eſt referre. Quod verò, etſi minimè obſcurum eſt, pluris tamen habebitur, ſi aliquid novi tu adjicies, et authoritatibus, et ſcriptis tuis poetæ argumenta confirmabis.

Vivas, valeas, et ingenio tuo uſque ad extremam vitæ horam fruaris.

ROMÆ Calendis
Januariis MDCCLX.

AVITUS

PERILLÆ SUÆ.

DUM triſti frangor morbo, longâque ſenectâ,
Et mea vix calamum ſuſtinet ægra manus:
Quâ non ipſe fruor, tibi mitto, PERILLA, ſalutem,
Pignus amicitiæ, chara puella, meæ.
Scotus adeſt hoſpes, qui de te multa rogatus,
Nil, ait, ingenio pulchrius eſſe tuo,
Teque, quod optabam, linguam callere Latinam,
Oreque Romano jam didiciſſe loqui.
Ecquid, io, nunc te divini Muſa Maronis,
Ecquid nunc Flacci carmina culta juvant?
Aut te delectat teneri præceptor amoris?
Pagina nec Phœbo gratior ulla fuit.

Hi mihi ſemper erant vitæ morumque magiſtri,
Quos juvenis colui, quos ſequor uſque ſenex.
Qui, quò te melius noſcas, et vivere quid ſit,
Pulpita quod nequeunt rauca docere, docent.
Sæpe tamen fateor magnos peccâſſe poetas,
Et falsâ auxilio voce vocâſſe deos.
Nam docto heroum celebrant dum carmine laudes,
Quid niſi latronum facta cruenta canunt?
Cultior hæc ætas: ſed nunc violentus, ut olim,
Europæ dominos egit in arma furor.
Vaſtantur terræ, urbes incenduntur, et ignes
Qui modò vitabant, heu! periêre fame.
En quoque, nè rabidi deſint urſique lupique,
Omnia qui lacerent, Ruſticus hoſtis adeſt.
Vix equidem, Ætna ſuas ſi toto extenderet orbe
Flammiferas vires, tanta ruina foret.
Sed tamen hoc ſtudium eſt, hoc eſt quoque gloria regum,
Unde ſibi ſumunt nomina magna Dei.

Sunt

Sunt ubi ſceptrigeri, veteres qui prodere amicos,
Fœdera qui dubitant, aut violare fidem?
Auſtria, grata parùm, ſua Gallis commodat arma,
Et nunc, queis debet cuncta, nocere cupit.
Talia quis fando regum non oderit æſtus?
At quis Chriſticolûm talia credat opus?
Mitis erat CHRISTUS, præceptaque mitia CHRISTI:
Ille hominum, ille almæ pacis amator erat.
Sed ſceleris ſi nunc damno heroaſque duceſque,
Et belli cauſam quærere quiſquis amat.
Attamen, imperii cujus Boruſſia pars eſt,
Nil ortum majus rege fuiſſe reor.
Quinetiam patrioſque deos, et jura tueri,
Et regni fines fortè coactus erat.
Proſpera bella gerat! (mea vota preceſque meretur
Magna viri virtus) proſpera bella gerat!
At patriam excuſare licet? Nam Marte ſecundo
Haud regio in terris clarior ulla fuit.

Claſſibus, ecce, ſuis jam vaſtum fulminat æquor,
Quaſque triumphantes vidit uterque polus.
Aſſerit imperium pelagi, quod bellica virtus,
Vel Genius populi, vel Deus ipſe dedit.
Excuſare licet. Nam res ratione gubernat,
Temperat et vires Anglia noſtra ſuas.
Non aliena petit: non civibus imperat arma,
Nî cauſa armorum juſta graviſque fuit.
Quà mare, quà tellus patuit, commercia fecit;
Ad ſeſe hinc multas attrahit orbis opes.
Quòd tantum potuit, quòd nunc majora faceſſit,
Et ſolis nixa eſt viribus ipſa ſuis;
Inſula, et extremi ſit quamvìs angulus orbis;
Sedem hîc Libertas maluit eſſe ſuam.
Aſt ubi non bellum eſt, neque gloria quæritur armis,
Relligio voluit cuncta licere ſibi.
Ecce igne, aut ferro tolli, quicunque negârint,
Quod non credibile eſt, credere, ſæva jubet;

Et

Et ſcelere immanes ſuperans Buſiridis aras,
Innocuos cives immolat illa ſuis.
Aut crede, aut ſimula veſtros renuiſſe penates,
Judæe, ut tandem ſit tibi ſalva domus.
Semideus vanos ſtimulat dum Loiola reges,
Plena feræ cædis Gallica regna vides.
Regibus Auſtriacis, mihi dic, inſignior ecquis
Cùm clade infandâ, tum pietate fuit?
Quas vaſtas ſubigit, gentes exterminat omnes,
Et raptas populi tollit Iberus opes:
Hæc quia non coluit CHRISTUM pars altera mundi,
Cui CHRISTUS nullo nomine notus erat.
Quænam hæc relligio eſt, quæ miſcet ſacra profanis,
Doctoreſque ſuos dicere vera vetat?
Quæque miniſteriis magicis malè mandat haberi,
Unica quam damnat terra Britanna, fidem?
Saga eſt; ah fugito: clamat vicinia tota;
Pauper et informis conſpiciatur anus.

Nunc ſeſe in felem mutat, lupa noxia nunc fit,
Nunc lepus, et magicâ decipit arte canes.
Nunc opus aggreditur majus: cantatque, facitque,
Ut luna imperio pareat ipſo ſuo.
Poſſe putat fieri, narratque hæc ruſtica turba,
Imputat atque boves, qui periêre lue.
Aeriam quoties equitantem in arundine vidit,
Cumque malo vetulam ſe ſociaſſe deo!
At tu crede malos non ullos eſſe deorum,
Nec formas homines ſumere poſſe novas;
Carmine nec quemquam cœlo deducere lunam;
Nî pulcher Latmi paſtor amore poteſt.
Ecquis ritè colit te, cœli magne CREATOR?
Legatus CHRISTI quærit avarus opes.
Sacrilegum vidi, quem mitra et purpura veſtit;
Vide, eheu, doctos credulitate trahi.
Confucium Sinæ populi, pars magnaque terræ
Tartaricum Lamam numen habere putant.

In flammâ Perſæ, ſacrato in pane Papiſtæ,
Indus et in vaccâ credit ineſſe deum.
Noſque monent Monachi in tunicis foediſque cucullis
Neſcio quos divos uſque latere ſuis.
Si Mahumetano Meccam contingat adire,
Is cœlum, munus grande laboris, habet.
Maſsâ auri Iſacides, vituli non immemor aurei,
Nil cultu ducit dignius eſſe ſuo.
Hiſpanus Veneri, Baccho Germania tota,
Et Batavus Pluto ſacra diurna parat:
Itque ſalutatum, quoties iteraveris ortus,
Phœbe, tuos, Mogul, et tibi vota facit.
Me quoque (nec puduit) Phœbum coluiſſe fatendum eſt,
Et nunc Phoebeo ſpiritus igne calet.
Ecce, auro gemmiſque aras exornat, ut olim,
Fingit et innumeros nunc quoque Roma deos.
Reginam cœli, mutato nomine, adorat,
Junonifque locum Virgo Maria tenet:

Quæ potuit (mirum!) volitare per æthera, ſecumque
Ædem humeris (pondus quàm grave!) ferre ſuam.
Dumque omnes luſtrat terras, ſanctamque videtur
Nunc hîc, nunc illic ponere velle domum;
En, maris Hadriaci ſedes in littore figit,
Ut claſſem et Venetas hinc tueatur opes.
Quid? quod ſolamen miſeris, ægriſque ſalutem,
(Quos non ulla manus, nec medicina juvat)
Quæque petunt reges, vitam, nova regna, triumphos,
Regia ſi mittunt munera, VIRGO dabit.
Quid? quod Laureti vel caſtum tangere limen,
Quodcunque admiſſum eſt, ſubmovet omne ſcelus.
Non vates, non Dii faciunt miracula tanta:
Tantaque vix ea ſunt, quæ bene narrat Arabs.
Quo mirêre magis, lubeat ſi quærere, quæ ſit,
Qualis et hæc (quum non eſt dea) Virgo potens:
Exueret ſeſe, ſimulachrum læve videres,
Quod rudis ex ligno fecerat arte faber.

At nimis apparent quamvìs fraudeſque dolique;
His tamen uſque poteſt credula turba capi.
Hæc neque tu, moneo, leviter culpaveris, in te
Pontifices ſiquid juris habere queant.
Abſtuleris catulos urſæ, rabidique leonis
Tutiùs ora tuâ ſunt ferienda manu.
At mihi fas animo metiri, magne ſacerdos,
Mandatum quicquid dixeris eſſe dei.
Tuque ô, dum rides falſa hæc miracula, ritus
Deſpicias gentis, culta PERILLA, tuæ.
Roma colit quæcunque, ea numina Scotia damnat;
Romaque quæ damnat, Scotia cuncta colit:
Templis inque ſuis, ſi fas ea templa vocare,
Si decoris quidquam eſt, id putat eſſe nefas.
Ruſticitas nam ſola placet; reverentiaque hîc eſt,
Debita ſiqua homini, debita nulla deo.
En, quoque Monticolæ ſecum ſua ſacra ferentes,
Ut doceant populum, nil niſi triſte ſonant.

EDITORIS ANNOTATIONES.

℣ 20. QUID NISI LATRONUM FACTA CRUENTA CANUNT?

Dictum fuit memorabile, et etiam quo fortaſſe nihil verius, Archipiratæ iſtius, cui cùm Alexander ille magnus ob latrocinia et prædationes crucem minaretur, hoc reſponſum ab eo tuliſſe fertur: Reputa tecum, ô Rex, quæ objeceris, et cui viro. Sanè hercle virtutibus, animo, et vitæ conſuetudine nos pares ſumus: tibi autem latiùs regnare, prædari, et nocere à fortunâ datur.

℣. 26. OMNIA QUI LACERENT, RUSSICUS HOSTIS ADEST.

Non mirandum erit, ſi eos conſilii ſui olim pœnitebit, qui auxilium à Muſcovitis, immani eâ et gente barbarâ petiêre, et Sarmaticorum exercitus in Germaniam tanquam in prædam invitârunt. Hi enim, præliis ſecundioribus jam elati, omnia armis ſuis ſe conſecuturos putant; et, ſi alter eſſet PETRUS Ruſſiæ Imperator, haud ſcio, an conſequerentur. At verò par mihi viſum eſt mirum, Sueciæ optimates fœdus cum Muſcovitis feciſſe, qui ampliſſimas et fructuoſiſſimas Suedorum provincias occupârunt, et ſub imperium ditionemque ſuam ſubjunxerunt, cæteras omnes mox devoraturi. Aut ſenatores Suecici largitione turpiſſimâ corrumpuntur, aut in maximarum rerum ignoratione verſantur. Hoc, quod ſequitur, ELOGIUM (quod initio hujus belli affixum fuit januæ Comitis de — ſenatoris nobiliſſimi, qui res Suecicas illo tempore pro arbitrio ſuo adminiſtrabat) non tam ſceleris, aut inhumanitatis, quàm negligentiæ et negotiorum gerendorum inſcitiæ eum arguere videtur.

HIC

HIC SITUS EST
SENATUS PRINCEPS, ET REGNI PRÆFECTUS;

Vir nobilis, ſplendidus, affabilis, blandus,
At animo non magno, nec magnâ corporis dignitate.
cujus nomen et laudes tota jamdiu celebrat * Academia;
Quem ſarcedotes aulici omnes imprimis obſervant;
Quem reverendiſſimi Præſules, ut Deum colunt.

Qui cibi conquiſitiſſimi perquàm intelligens,
Et convivia ſumptuosè apparandi unicus inſtructor,
Doctiſſimos Trimalchionis coquos,
Mercede ampliſſimâ conductos,
In patriam, inque patriæ, ſcilicet, honorem,
Primus curavit arceſſendos.

Qui indiſertus, loquax, obſcurus,
Diſertiſſimos oratores, et ſapientiſſimos
Non modò vicit omnes,
Sed hos ipſos ſemper habuit
Sententiæ ſuæ aſtipulatores.
Quippe populi captandi, et corrumpendi mirus artifex,
Atque ad conſervandam, quam conſecutus eſt, potentiam,
Ut alius nemo, callidus,
Summam Imperii diu tenuit,
Rei tamen publicæ adminiſtrandæ,
Perinde atque ſuæ,
Minimè peritus.

* UPSALA, Urbs Archiepiſcopalis et Academia inſignis.

Tria

Tria millia talentûm ex agris et fortunis ſuis,
Totidemque fortaſſe è regio, cui præeſt, ærario
Exhauſit, et diſſipavit.
Neque quemquam hominem probiſſimum,
Deque republicâ, aut re literariâ optimè meritum,
Liberalitate ſuâ decoravit, aut adjuvit.

Solus ex omnibus
Belli et pacis arbiter fuit conſtitutus:
At belli legitimè ſuſcipiendi, et perſequendi,
Aut pacis honeſtè retinendæ, aut firmandæ
Solus ex omnibus expers et ignarus.

Semper vehementiſſimè occupatus,
Ac res permagnas viſus agere,
Omninò nihil agit.
Semper feſtinans, properanſque,
Atque ad metam tendere prorsùm ſimulans,
Nunquam pervenit.

Hæc fortaſſis, Viator, rides:
Sta verò, et triſtem lege Epilogum:
HUJUS unius hominis inſcitia
Tantum impreſſit dedecus,
Tantum attulit detrimentum reipublicæ,
Ut omnibus appareat,
Niſi SUECIÆ Genius, ſiquis eſt, ſeſe interponat,
SUECIAM futuram non eſſe.

℣. 30. UNDE SIBI SUMUNT NOMINA MAGNA DEI.

Alexander, qui Perſepolim ebrii ſcorti hortatu incendi juſſit, ſe gloriabatur eſſe Jovis Ammonis filium. Cæſares omnes, feris, procellis, peſtibus et omni intemperie cœli humano generi perniciofiores erant, Auguſti, et Divi habebantur. Et memoriâ patrum noſtrorum Ludovicus xiv rex Francorum Chriſtianiſſimus, poſtquam exciſionem, inflammationem, depopulationem finitimis ſuis Germanis, eorumque oppidis, villis, agris intulerat, VIRI IMMORTALIS nomen ſibi induit, aut aulicorum adulatoria calliditas ei indidit non abnuenti. Tales duces, reges, imperatores, dum ſibi divinitatem impiè et ineptè arrogant, næ ego infra omnes homines ponendos eſſe judicaverim.

℣. 38. ILLE HOMINUM, ILLE ALMÆ PACIS AMATOR ERAT.

Religio Chriſtiana pacem amat, cupit, conciliat, ſervat. Principes Chriſtiani, etiam Chriſtianiſſimi pacem averſantur, aſpernantur, indignantur, finitimis et vicinis cædes et excidia utique meditantur. Ecquod autem judicium de hiſce terrarum dominis ex facinoribus ſuis, et anteactâ vitâ tu, bone lector, facies? QUEVEDO, vir Hiſpanus, et facetiſſimus fabulator, qui mores hominum probè perſpexerat, cunctas Inferorum regiones, ut ipſe teſtatur, aliquando peragravit, loca omnia, omneſque ordines, occupationes, et umbrarum pœnas oculis et animo perluſtrans, duce et comite Aſmodeo, aut alio quopiam dæmone urbano, et melioris notæ. Atque itinere jam penè confecto, quum nullos in viâ offendiſſet reges, quos præcipuè optabat ſibi dari, QUEVEDO percontatus eſt hoſpitem ſuum, in quo loco hi ſceptrigeri eſſent collocati. Eccillos, inquit dæmon, ſpecus horridulum digito monſtrans: quod inſpiciens QUEVEDO, ibi perpaucos eſſe affirmat. Neſcio, ait dux viæ, an perpaucos eos dixeris: Hoc certò ſcio, ibi eſſe omnes, qui fuerunt, aut uſpiam gentium regnârunt in terris.

℣. 41. ATTAMEN

℣. 41. ATTAMEN IMPERII CUJUS BORUSSIA PARS EST &c.

Non poſſumus facere, quin impensè admiremur res geſtas Boruſſiæ regis. At enim centum poſt annos cùm hæc eadem prædicarint hiſtoriæ, haud credibilis erit narratio. Copiis omnibus tum equeſtribus tum pedeſtribus Francorum regis, Auſtriaci Imperatoris, Moſcovitarum reginæ, et Sueciæ reipublicæ ecquis rex vel potentiſſimus reſiſtere poteſt? Rex Fredericus virtute ſuâ et ſcientia militari nixus reſtitit, et vicit.

℣. 56. NI CAUSA ARMORUM JUSTA GRAVISQUE FUIT.

Bellum juſtiſſimum (ſiquod eſt juſtiſſimum) à populo Britanno cum Gallis hodie geritur. Cùm hujus belli initia proſpera eſſent Gallis, et rempublicam noſtram adminiſtrarent quidam purpurati, in quibus neque quid ſcientiæ militaris, aut conſilii, aut dignitatis, fuit, omnia ſibi promittebat gens inimica, etiam opes et poſſeſſiones noſtras omnes, et totius oceani imperium. Simul autem ac novi homines ſingulari prudentiâ, altâ mente, et authoritate prædiți ad capeſſendam rempublicam acceſſerunt, ô quàm ſubitò commutata eſt hujus inſulæ fortuna! ô quæ temporum inclinatio! quæ repentina rerum Gallicarum converſio, quas in extremum caſum deductas eſſe magno cum noſtro gaudio ac beneficio hodie videmus!

Quid hominis fuerit eorum purpuratorum, de quibus ſuprà mentionem feci, præfectus, atque idem fortaſſe regni præfectus, cognoſcas ex iis verſiculis, patrio ſermone ſcriptis, et inſcriptis, **To no miniſter, and no great man.** Cùm verò ad hoc carmen neſcio qui ex ſatrapæ hujus aſſentatoribus tenuiter reſpondit, et imaginem ejus vitæ et conſuetudinis numeris ſimilibus exprimere conatus eſt, non potui, quin de poetarum meritis ſic exiſtimarem, et qui de iis aliter ſentiat atque ego, inveni neminem.

En, paucis duo verſibus poetæ
Laudavêre duos viros potentes,
Culpavêre duos viros potentes;

Qui nunc res Britonum impigrè gubernant.
At famâ, ingenio, ſcientiâque
Sunt tam diſſimiles duo hi poetæ,
Quàm ſunt diſſimiles ſui patroni.

℣. 62. SEDEM HIC LIBERTAS MALUIT ESSE SUAM.

Sed tamen huic metuo. Quam certam maluit eſſe
Sedem hîc Libertas alma, tenere poteſt?
Haud equidem teneat, nî eadem firmabit amica,
Quâ modo tam genti profuit, arte manus.

Populi Britanni propria eſt ea perfectæ libertatis, et reipublicæ ſpecies, quâ nihil dulcius, et homine dignius: et quæ quidem nunquam amitti poteſt, niſi eam vendat ipſe ſenatus. Quàm fœda autem, quàm infamis, quàm etiam inſuper ſtulta eſſet hæc venditio, quum nihil tanti eſt, quo eam venderet; quum ipſa tanti eſt, ut amicorum, ut liberorum, ut vitæ noſtræ anteponeretur?

℣. 64. RELIGIO VOLUIT CUNCTA LICERE SIBI.

Ea ſcilicet ſuperſtitio quâ imbuitur maxima pars Europæ, gens potiſſimùm Hiſpanica, et Luſitanica, Dei omnipotentis pio cultui quâm diſſimillimâ. Quot enim homines, crudeliter excruciatos, et verò etiam quot millia hominum necari, et cremari juſſit? Quàm verè ferreus, et imbecillo animo, et inhumano fuit rex iſte, qui primùm juſſit tale conſtitui tribunal religionis ergô, quale nulla uſquam gens barbara, injurias ſuas ulciſcendi causâ, extruxit, aut excogitavit? Si CHRISTUS terram reviſeret, ubi inveniret doctrinam et religionem ſuam, ſimplicem, puram, humilem, benevolam, pacificam? Fruſtra equidem eam quæreret in triſti et inexorabili INQUISITIONIS domo, fruſtra fortaſſe in ullâ regali aulâ.

℣. 71. SEMIDEUS VANOS STIMULAT DUM LOIOLA REGES.

IGNATIUS LOIOLA, Jeſuitarum ordinis, ſive ſocietatis fundator: quæ ab initiis parvis in immenſum crevit. Hujus ſocietatis doctrina, diſciplina,

diſciplina, dogmata ita probè jam omnibus perſpecta et cognita ſunt, ut ſupervacaneum eſſet in hoc loco de iis differere. At verò hiſce ſociis JESU ſuperbum, quô ſemper uſi ſunt, nomen æquiore animo permitteremus, ſi tantum iis vera religio debuiſſet, quantum debuit res literaria, et omnes ingenuæ artes.

℣. 72. PLENA FERÆ CÆDIS GALLICA REGNA VIDES.

Maximæ indigniſſimæque cædes Pariſiorum civium, et primariorum virorum factæ ſunt religionis gratiâ A. C. 1570. juſſu Caroli ix. Francorum regis. Et A. C. 1655. Edictum *Nanneticum* abolitum, et abrogatum fuit à Ludovico xiv. (quod quidem Jeſuitarum conſiliis acceptum fertur) unde decies centena millia hominum, ſiqua eſt hiſtoriæ fides, aut occiſa ſunt, aut exulârunt.

℣. 73. REGIBUS AUSTRIACIS MIHI DIC INSIGNIOR ECQUIS &c.

Domus Auſtrïaca, ſuperba, inhumana, ingrata: cujus prava et immodica ſuperſtitio in iis provinciis, quæcunque ſub ejus imperium ditionemque malo fato ceciderunt, *Reformatos* ſive *Proteſtantes* oppreſſit, obruitque: cujus autem miſerrima ac ſuſpicioſa ambitio ferè omnes Hungariæ, et Tranſilvaniæ proceres exterminandos curavit.

℣. 75. QUAS VASTAS SUBIGIT GENTES, EXTERMINAT OMNES &c.

Hiſpanis, ex omnibus primis, contigit longâ ex navigatione Americam adire; ubi, ignotis armis uſi, quaſcunque vellent, gentes Americanas facilè ſuperabant, et in ditionem ſuam redigebant. Quæ autem Hiſpanorum rapinæ! quæ incolarum ſupplicia! quicquid enim avaritia teterrima, et crudelitas immaniſſima efficere potuit, effecerunt Hiſpani, uſque adeò, ut bis centies decies centena millia hominum Americanorum, quod quidem ipſi Hiſpanienſes commentarii teſtantur, interfecta fuerint. Verùm Hiſpani de omnibus hiſce flagitiis et ſceleribus ideò ſe excuſari arbitrantur, quia nimirùm novæ hujus telluris incolæ, cùm

homines eſſent, non erant Chriſtiani. Audiit vir Americanus monachum quendam glorioſiùs declamantem, et multa diſſerentem de cœleſti Paradiſo, Chriſtianorum omnium defunctorum lætâ et beatâ ſede futurâ. Ut monachus finem fecit dicendi, hominem adiit Americanus, et ab eo quæſivit, utrum illa eadem domus cœleſtis deſtinata eſſet Hiſpanis! Certe equidem, inquit Monachus, iis præcipuè. O bone Deus, exclamat Americanus, ſi ita eſt, da mihi ubivis demigrare potius, quàm in eo Paradiſo habitare unà cum Hiſpanis.

℣. 82. UNICA QUAM DAMNAT TERRA BRITANNA, FIDEM.

Prudentiſſimo ſenatûs decreto ſagæ, incantatrices, verſipelles, ſtriges, et veneficæ omnes in exilium jam diu ejiciuntur, ſanè nunquam reducendæ, quum ipſa etiam ars magica ſolum mutavit, niſi Anglia noſtra, quod avertat Deus, ad Romana ſacra revertatur.

Opinionem hanc de ſagarum incantamentis et potentiâ ex veterum poetarum fabulis in Chriſtianam religionem irrepſiſſe crediderim: quæ quidem opinio, uſque à Chriſti ſæculo, cum ætatibus hominum ita inveteravit, ut non vulgi modò, ſed doctorum virorum et optimorum mentes eâ imbuerentur. Vix ſunt centum abhinc anni, cùm in quocunque pago habitaret vidua fœmina, vetula, ſordida, miſera, edentula, moroſa, ea ſemper ſaga habebatur, et ſæpiſſimè in judicium capitis vocabatur, dum alii jurejurando affirmabant eam in felem ſe mutaſſe, alii in baculo ſedentem per aera volitâſſe, alii oves et boves vicinorum linguâ malâ faſcinâſſe.

℣. 98. LEGATUS CHRISTI QUÆRIT AVARUS OPES.
SACRILEGUM VIDI &c.

Perpaucos uſquam gentium cognovi ex purpuratis iis, qui Archipræſules, Præſules, Antiſtites, Epiſcopi honorificentiſſimè appellantur, ad priſcæ veræque ſanctitatis imaginem factos, aut quorum libri, præcepta, orationes cum eorum vitâ non pugnarent. Multos equidem novi ambitioſis hiſce nominibus potitos, qui nihil cogitabant, niſi quò divitias congererent, familiam ornarent, cenſum augerent, ſacerdotia

alia

alia aliis ampliora ditioraque consequendo. Unde fit, ut quos majores nostri tanquam sanctos Christi Apostolos colebant, nos quidem nullâ prorsus veneratione dignos putemus. Quæ enim infamia! quæ eorum impietas! quos pecuniam, quam ecclesiæ, quam pauperibus, quam Deo debent, in uxorculas, liberos, consanguineos, et affines suos conferre minimè puduit.

℣. 105. NOSQUE MONENT MONACHI IN TUNICIS FOEDISQUE CUCULLIS &c.

Homines eos intelligit poeta, qui senio et morbis confecti supremam horam expectant, monachorum induti cucullis, quasi ita ornati scelera omnia anteactæ vitæ subitò expiarent. Qui monachorum doli! quæ machinæ! quæ captiones!

℣. 101. CONFUCIUM SINÆ POPULI, PARS MAGNAQUE TERRÆ TARTARICUM LAMAM &c.

De CONFUCIO, et LAMA magnæ Tartariæ Deo, consule Sinenses historias.

℣. 103. IN FLAMMA PERSÆ, SACRATO IN PANE PAPISTÆ, INDUS ET IN VACCA &c.

Veteres Persæ IGNEM adorabant, et qui ab iis oriundi sunt, qui, ni fallor, GUEBRES appellantur, numen idem hodie adorant. De fectâ Indorum, qui VACCAM venerantur, vide orientales historias, et varias Indiæ commentationes.

℣. 122. ÆDEM HUMERIS (PONDUS QUAM GRAVE) FERRE SUAM.

Santa casa di Loretto, Domus B. M. V. quæ ejus jussu sese ex patrio solo in aera sustulit (nè infidelium tactu, aut aspectu diutiùs polluretur) atque post varias migrationes et peregrinationes sedem sibi elegit, ubi olim Junonis templum extructum fuerat, prope Hadriaticum mare. Hìc B. V. rem suam tam copiosè fecit, atque indies ita cumulatè auget, ut Deos Deasque omnes tum Græcorum, tum Romanorum, non modò Junonem, cujus in locum successit, sed etiam Delphicum Apollinem, qui gratiâ, authoritate, et oraculis vendendis plurimùm valebat, divitiis longè superaverit.

℣. 134. TANTAQUE

℣. 134. TANTAQUE VIX EA SUNT, QUÆ BENE NARRAT ARABS.

Noctes ſcilicet Arabicæ, fabulæ non injucundæ, mira omnia, portentoſa, prodigioſa, more Arabum, narrantes.

℣. 137. EXUERET SESE SIMULACHRUM LÆVE VIDERES &c.

B. M. Virginis imago, quæ in *Laureti* domo poſita eſt, induitur coronâ aureâ, magnis, pretioſiſſimis, et fulgentibus gemmis illuminatâ; totuſque ejus ornatus tot tantiſque gemmis diſtinctus eſt, ut maximorum regum coronas, diademata, veſtimenta, uniones et gazas omnes vix tanti æſtimares. Ipſa autem ſtatua, quæ ex ligno facta eſt, adeò eſt informis, ut non è cœlo cecidiſſe, ſed ex veneficæ cujuſdam cellâ ablatam fuiſſe diceres.

℣. 113. ITQUE SALUTATUM, QUOTIES ITERAVERIS ORTUS PHOEBE, TUOS MOGUL &c.

Magnus Indiæ monarcha, **The Great Mogul**, ex more proavito primos ſolis orientis radios religioſiſſimè ſalutat, ſuſpicit, contemplatur, veneratur.

℣. 149. ROMA COLIT QUÆCUNQUE, EA NUMINA SCOTIA DAMNAT.

Scoti minùs reverenter Deum colunt, quàm regni ſatrapas, vel etiam æquales ſuos. Gentis hujus religio in unâ hâc re poſita videtur, ut quâm longiſſimè abſit ab inſtitutis, ritibus, et cæremoniis Eccleſiæ Romanæ, nec non et Anglicanæ. Ab Epiſcopatu autem ita abhorrent, ut in eo nihil boni agnoſcant, niſi quòd ſit fructuoſiſſimus, et rem familiarem et cenſum tenuiſſimum cumulatè augeat. Quapropter ex Scotis aliquando ſunt reperti, qui EPISCOPARI non NOLUNT. Quos dies feſtos nos agimus, et celebramus, Scoti nefaſtos ducunt, et lugubria, puto, canunt. Quum in hâc boreali Britanniæ parte olim peregrinabar, hoſpitis mei vicinus (ex iis unus, quos *miniſtros* appellant) in judicium fuit vocatus, et damnatus ſceleris, quia anſerem auſus eſt

prandere

prandere natali Chriſti, aut feſto die Michaelis Archangeli. Nam eo die Anglis mos eſt patrius menſas ſuas aſſis anſeribus extruere, haud quidem religione obſtrictis; ſed quia, circiter id anni tempus anſeres ſunt pinguiſſimi, et jucundi ſaporis. Nonne autem hic reus judicium ſubiit iniquiſſimum? Quid ſi improbum hunc Anglorum morem ignorabat? Quid ſi ignorabat, cujus præcipuè dies eſſet, ſiquidem in Scotorum calendario Archangelus, nullum, ni fallor, locum obtinuit? Quid denique ſi vir bonus nihil præter unum anſerem habebat, quod ederet?

Tres Encolpius anſeres necavit,
Ut nos Arbiter ille fabulator
Jucundus docuit, ſacros Priapo.
Id propter * vetulæ crucem minantur.
Quid verò meus ille Scotus hoſpes,
Unum cùm necat anſerem profanum,
Quo natos aleret puellulaſque,
Nunc in judicium reus vocatur?
Utrum ſit ſacer anſer, an profanus,
Nil refert: ſed inexpiabile hoc eſt,
Siquis Scotus homo die nefaſto
Convivis jubet anſerem parari.
Si, ſic nota tibi Dei voluntas,
Qui ſint, dic bone vir, dies nefaſti,
Ut prandentibus error abſit omnis.
Omnem credideris diem nefaſtum,
Inque ipſo anſere dæmonem latere,
Angli quem celebrant ineptiores,
Feſtum cœlicolis ſuis dicatum.
At ut, præcipuè, valere ſi vis,
Feſtum, Scote, caveto Michaelis.

* Sacerdotes Priapi.

℣. 155. EN QUOQUE MONTICOLÆ SECUM SUA SACRA FERENTES &c.

Eſt in Scotiâ ſacrificulorum genus, qui in agris et montibus concionari ſolent; qui novis ſacris jam diu initia fecerunt, et acta ſynodica, quæcunque conſtituta fuerint, purioribus doctrinis diſciplinisque, id eſt, diverſitate ſuperſtitionis reſcindere conantur. Tantæ autem multitudinis et potiſſimùm ſervorum et agreſtium hominum, quantam vix ulla urbs in eâ regione capiat, ad hos montanos concionatores ſemper factus eſt concurſus: quibus et nymphæ Oreades miſceri non dedignantur. Hos conventus † *Occaſiones* appellant, quaſi tum quidem idonea eſſet oblata occaſio inter ſe amandi, amplectendi, et otio mirificè fruendi.

Sæpenumerò mecum mirari ſoleo, quid ſit cauſæ, quamobrem in Scotiâ inveteraverint tot aniles et barbaræ ſuperſtitiones, quandoquidem Scoti omnes, niſi qui ſint de fæce populi, à pueritiâ ſunt literis dediti, et philoſophiam, et omnes liberales diſciplinas, et ingenuas artes imprimis colunt. Eorumque proceres in genere omni literaturæ Angliæ proceribus antecellunt, atque exterarum gentium nobilibus nihil cedunt.


℣. 164. LIBERA NEC CUIQUAM MENS ANIMUSQUE DATUR.

Scoti omnes, qui ſacris ſuo more ſunt initiati, ii cujuſcunque ſint ordinis, aut ſectæ, cuncta fataliter definita, atque à Deo prædeſtinata fuiſſe aſſerunt.

† Vide libellum à FABRO FERRARIO ſcriptum, et nuper editum, qui in haſce *occaſiones*, ſive immanes conventus, luſit ſatis jocosè.

ERRATA. Pag. 6. l. 100. for *Vide*, r. *vidi*.
— 13. Note on ℣ 26. for *At vero par*, r. *At vero per*.
— 16. Note on ℣ 30. for *Cæſares omnes, feris*, r. *Cæſares omnes, qui feris*.

BL



Hub.: Gravelot in. B. Baron sculp.

Exhibet en tabulam Granvillus! Apolline dignum
Et putat, et blando carmine jactat opus. —
Informis Mira, deceptus imagine falsâ, —
Ah! nimium laudans hæret in ore Deus.

Obliquo Satyrus, lector, dum lumine veram
Effigiem spectans hinc tibi monstrat anûs.
Quid mirum, si nunc insanos vatis amores,
Nunc vanam Phœbi riserit ille fidem?

THE

TOAST.

AN

HEROICK POEM

In four Books,

Written originally in Latin,

BY

FREDERICK SCHEFFER:

Now done into Engliſh, and illuſtrated with Notes and Obſervations,

BY

PEREGRINE ODONALD Eſq;

Si quis erat dignus deſcribi, quòd MALUS, *aut* FUR,
Quòd MOECHUS *foret, aut* SICARIUS, *aut alioqui*
FAMOSUS; *multâ cum libertate notabant.* HOR.

DUBLIN: Printed.

LONDON: Reprinted in the Year MDCCXXXVI.

THE

HEROICK POEM

OF

TASSO.

IN

TWENTY Books.

BY

FREDERICK SCHEFFER.

Now done into English, and illustrated with Notes

and Observations.

ERRECKINE ODONVLDE.

FREDERICI SCHEFFERI

EPISTOLA

AD

CADENUM.

SEMPER culte mihi, ſemper, CADENE, colende;
O decus & patriæ tutamen! Crimina, curas,
Atque hominum mores, & quicquid pulpita damnant,
Seu nunc tu meliùs tractas irriſor acerbus,
Seu Phœbi ſtimulis igneſcens fundis Iambos,
Aut STELLÆ laudes recitas & amabile carmen:
Si locus eſt interpellandi, en barbarus audet
Ire ſalutatum, veniamque expoſcere nugis!
Nec Muſa offendat, quòd non limatior: aures
Forſitan & veſtras rerum novitate moretur.
At ne tu mirêre, quis hic novus impetus iræ,
Aut cur matronas & fictos carmine SCHEFFER
Luſerit heroas, cui mens ignara nocendi;
Promptiùs expediam. Si quem mala ſaga veneno,
Aut ferro tollat ſicarius, & fugit; annon
Proſcribunt Reges, queis ulla eſt cura popelli?
Sic mea proſcripſit (fuerit ſeu VOLLUS iniquus,

Seu MIRA *infanis, ſeu turba venefica* MIRÆ,
Et mœchi & Tribades, qui vatem lite fatigant,
Inſidiisque petunt) inimicum pagina nomen.
Nec me commôrit, quod rhythmica *carmina damnet*
PERSEUS iſte faber, cui mens & craſſa Minerva
Nec callere ſales dederant, nec ſcire Latinè.
Quis, benè qui novit PERSEI inſidiasque dolosque,
Temperet a ſatyrâ? Regis ſe jactat in aulâ;
Ingenioque opifex alieno vivere doctus,
Quas non edidicit, ſibi PERSEUS arrogat artes:
Cui res, & titulus, cui crevit fama labore
Pauperis heu! CASTELLI; ac dum bis mille Senatus
Decernit, digno quota pars donatur amico,
Omnia qui fecit, ſolusque meretur honorem!
Sic vos non vobis! *Tantis ſucceſſibus auctum*
Haud alias equitem puduit componere fraudes,
Et quibus ipſe optat diteſcere: captat avari
Teſtamenta ſenis, vel denique ſubjicit; & qui
Nomine vix MARTI notus, nunc ſcribitur hæres.
Nec bona ſufficiunt, quæ poſſidet omnia, MARTIS:
Quas MARS vendiderat terras, quæ dona propinquis
Aut miſeris dederat ſervis, hic cuncta repoſcit.
Jamque ædes veſtras, & regia rura, Camœnæ,
Impius invadit KEVANNO milite cinctus;
Et famulos noſtrosque Lares deturbat inermes.
In jus judiciumque voco: defendere cauſam,

Quos ſibi MIRA parat, conductis teſtibus audet
Munitus; ſcelere atque ſcelus firmare nefandum.
Tunc VOLLI exemplo monitus, ſervare recentem
Quâ ratione queat prædam, raptoque potiri,
Provocat ille deos, juratque in verba ſuorum,
" Cogere vi nullâ, nulla ipſum inferre Latinis
" Arma, nec invitos veteres migrâſſe colonos.
Lucra pudenda avidus decerpit PERSEUS ex re
Quâlibet: extentans nervos venalis adulter
Patricias ſectatur anûs, MIRAMque ſalacem
Turpis init: nunquam MIRÆ ſatiata libido:
Mille etenim toties reparato robore poſſet
Exhaurire viros, totumque vorare cohortem.
Quin TRAULI quaſſans lectum, nec viribus impar
Balbe tuis CLODI, tibi nec, REGILLE, ſecundus,
ALITIS extortum reſupinæ corpore corpus
Corrigit; informis dum ſemivir urget anhelum,
Rivalique ſuo lenonia dextera ſervit.
Præmia quæ ſolvi pro tanto digna labore
Poſſe putes equiti? Dat ~~Mirus~~ Mira monilia, gemmas;
Inſuper & nummos: uxorcula cætera mittit,
Callidaque affatu palpat Judæa maritum:
*Famque domum & mœcho S*organa præbet agellum.*
Macte eſto virtute! tibi olim MIRA parabit,
Res quibus ampla domi, lectiſſima corpora matrum,
Concubitûs faciles, PERSEU, & Danaes Hymenæos.

Alter

Alter erit tunc TRAULUS, *& altera, quæ tibi campum*
Delirante viro donabit mœcha; nec uni,
Si magici cantus valeant, dictaberis hæres.
Quinetiam excrucier, ſi MIRÆ *fautor ineptus*
Nos inſectatur CACUS, *blateratque furitque,*
Arma gerens PERSEI *fratris mentemque locumque?*
Vel quia de vetulis guſtavit, & ALES *obeſas*
Auresque & fauces permulſit; vel quia flexus
Inſidiis VOLLI *fictas firmare tabellas*
Tentat lite novâ, &, quæ olim damnaverat ipſe,
MIRACIDUM *ſibi emit perjuria cuncta, ſuamque*
Legatis inhians nunc famam venditat aſſe.
Quid quod & ipſe domi plaudat ſibi, juraque temnat,
Omniaque involvat fumo & caligine cæcâ,
Herculeæque manus deſint? malè parta tropæa
Attamen haud impune feret: juravimus omnes
Sic Phœbi vates; et, noſtri ſiquid Iambi,
Semper, CACE, *tuum nomen fraudesque manebunt.*
Me quoque tu cornu petis, O impure Sacerdos;
Et tibi ſunt odio mea carmina. Sed quis amicus
Fortunis noſtris adſit, ſi, peſſime, vati
Terrorem incutias? Tibi enim nec corporis eſſe,
Nec mentis ſanum donatur: vox quoque PAMMUM
Ipſa fugit: ſagæ PAMMI *tetigêre priora.*
Nequicquam cœlum mutas; nec proſit adire
Borbonios *fontes: nequeunt extinguere virus,*

Peſtiferos-

Peſtiferosque ignes, irati munera Amoris;
Pumila dum ſibi te Frokina *inamabilis ALES*
Alligat, & mœchum fœdiſſima MIRA coercet,
Tali digna viro!—Sed & hic verſatur in aulâ;
Nec caſtum ſimulat. Vidi, puduitque videre,
PAMMUM inter Reges noſtros, proceresque ſedentem,
Sacratosque patres, & dantem jura popello.
Heu! quem rectorem terris dicamus ineſſe?
Cum verſum fas atque nefas: cum turpis adulter
Ornatas teneat ſedes, delubra Deorum
Ditia, ſplendenti redimitus tempora mitrâ;
Et, pretium ſceleris, vel ſumma altaria ſperet.
Sic pietas, ſic priſca fides, patriique Penates
Ritibus (infandum!) cedunt, furtisque Priapi.
At mihi quid tecum eſt? aut cur, indocte Magiſter
OTTOR, aves nos & noſtras lacerare Camœnas?
Cur mea (namque emi) MARS, te monitore, requirit
Prædia? cur PERSEUS, CACUSq;, atq; ignipotens VOL,
Cur MIRA hæc eadem? cur addis ſpemque animumque
Furibus, & rabidæ ſagæ pus atque venenum,
Ipſe idem hortator litis, judexque futurus?
Aſperius nihil eſt humili. *De plebe ſenator*
Si quis erit; ſi quis miſeris ſutoribus ortus
Incedat judex, tendatque urbanus haberi,
Et generoſum mentiri; tamen uſque recurrent
Barbariesque domus, moresque animique paterni.

Quin ſaveant proceres; nos cætera turba Poetæ
Donandum phaleris tumidum ridemus aſellum,
Qui Baldos *ſimulat,* doctoratu*que ſuperbit.*
Horum alios ſimiles, qui verbis bella laceſſunt,
Semiviro quos una facit mala cauſa ſodales,
Prætereo; ſed quos olim memorare licebit.
Nam neque THRASONEM ſemper patiemur inulti,
Nec fraudes, OLLARDE, tuas, nec fœdera FUNGI.
Garrulus ipſe etiam cirratus Homuncio totâ,
Dum me rodit inops mentis, cantabitur urbe.
Hic quoque, qui ſævo MARTI ſua crimina ſuaſit,
Semivirumque malas docuit qui jure tueri
Jurando lites, perjuria callida dictans,
ONDILLUS noſtro jam carmine nomen habebit.
Et tu, qui MIRÆ vocemque artemque locâſti,
Effundis rapido qui dimidiata palato
Inter verba ſecans, tituloque togâque ſuperbus,
O MELESINE, meas nunc experière Camœnas.
Et ſatyrâ tu dignus, & hic; & quiſquis iniquè
Vellicet ignotos, aut vati ſuſcitet hoſtes.
Nec ſtrepitus, neque nos ingentia nomina terrent.
Acrior opprobriis inſenſos Muſa notabit
MIRACIDAS: ſint qui legionibus imperitârint;
Sive quis ex procerum numero; ſit Epiſcopus idem;
Aut cui cœruleus titulus per colla pependit.
Eſt tener & mollis, ſed & arcum tendit Apollo;

Et

Et ſcelera ulſciſci Dî conceſſêre Poetis.
Quod lex non potuit, verſus facit. Adfuit ultro
Calliope: Si, jam rapuit quas ſemivir atrox,
Haud revocavit opes, at cæcos reppulit ictus,
Ingenioque rudi ſcelerata redarguit arma.
Ecce meo, nequicquam alios ſpoliare parata,
Mœchari juvenes, caſtas violare puellas,
Carmine victa cadit, telluris peſtis Iernæ,
Androgyne furibunda, & crimine turpior omni.
Quæ ſi ſpem contra noſtram, ſtudiumque reſurgat,
Suggerat & vires, MIRÆQUE Megæra petenti
Se inſinuet; ſua ſi revocet perjuria, lites,
Et percuſſores mœchos; ſi toxica mittat,
Tres quibus extulerat miſeros mala ſaga maritos;
Tunc adſis, CADENE, favens! ac veſtra meas res
(Gratior haud ulla eſt) commendet epiſtola Phœbo:
Ille ſuum vatem, ille tuum ſervabit amicum.
Nec petulans uxor TRAULI impunitior exit
Poſticâ toties conata laceſſere ſannâ
Nos, &, quà potuit, tetro noſtra ore venenans.
Namque invita meos, nè ſit perfecta voluptas,
Verſiculos memorat, vetitos dum ſuccuba tentat
Concubitûs, corpuſque novos effingit in uſus:
Inque dies perculſa vovet, ſemperque vovebit
SCHEFFERIDAS Muſas, jam jam majora moventes;
Et ſatyræ fruſtra cupiat prænoſcere finem.

Res quoque qui primum potuit confundere noſtras,
Et verſare dolos, blandum mentitus amicum,
Palleret; ſi ullâ poſſet palleſcere culpâ;
Cum VOL, VOL totiès digito monſtretur euntis,
Ludibriumque Eblanæ, *& latè fabula fiat.*
Nec ſine nomine eris, nè me aſpernere canentem,
PAMME, tuum vatem: parvo ſi tincta lepôre,
Tincta Lycambeo nimiùm mea ſanguine tela
Criminibus veſtris portendunt carmina pœnas.
Atque erit ille dies, cùm dicent plura Camœnæ,
Et nos vel meliùs doceant tua pandere facta;
Tunc cum grandævum te purpura tertia velet.
Forſan & ipſa ſuàm tollat Comœdia vocem,
Semivirique lupanar, & ALITIS antra recludat,
Veſtras, PAMME, domos; ac, qui nunc audis adulter,
HORTATOR ſcelerum, præcepta libidinis addes,
Et mœchos mœchis, & ſagis leno malignis
Miſcebis Fribades, & permiſceberis illis.
Tunc quoque, ſi Venerem peteret tua MIRA nefandam,
Æmula Paſiphaes; (quin eſt furioſior illâ,
Atque optat majora pati) tu Dædalus alter
En eris, & longos tandem ſatiabis amores.
Quam neque Lesbiades, nec multi militis ardor,
Non centum domuêre anni, non mille Priapi,

Tu

Tu poteris, ſollers facilem excogitare figuram,
Et vetulam immanem mœchis aſſueſcere tauris.
Non indigna cano. Debentur maxima MIRÆ;
Maxima monſtriferi, ſtudium quos cogere PAMMO,
Taurorum, & tribadum, furumque, Deumque malorum
Me cœtus poſcunt: & me fecêre poetam.
Quin nullam ſatyræ ponam legemque modumque;
Per populos donec volitet mea fama Britannos,
Efficiamque, viris ut quis dignoſcere poſſit
MIRACIDAS; ut, quo me duxerat heu! malus error,
Tutus ab inſidiis jam ſpectet luſtra ferarum.
At non cuncta tamen voluit ſibi Muſa licere:
Nec fictis auſa eſt quenquam incuſare querelis,
Nec genus innocuum ſtrinxit, fruitura jocandi
Sævitiâ. Semper maneant ſua nomina caſtis,
Intactæque domus! Nec belli quærere cauſas,
Lædere nec fas ſit, qui non læsêre priores.

NOTÆ.

CUM Epiſtolam SCHEFFERI ex Latino ſermone in linguam vernaculam non ſatis dignè poteram vertere, eam tamen operi meo decrevi præfationem dare. Sic enim rebus meis agundis quod fœlix fauſtumque eſſet, me præfari cenſebam; ſiquid mihi ad gloriam ingenium SCHEFFERI valeat, ſiquid venerabile CADENI nomen. Adhibitis autem, quæ ſequuntur, explanationibus, certè de exteris benè meritus ſum, qui produxi in eorum proſpectum tum nobiles, tum obſcuriores hujus Satyræ perſonas; benè etiam de popularibus meis, quia nefariæ MIRACIDUM genti & ipſe inuſſi quaſdam ignominiæ notas.

P. O. D.

Ver. 1. *Semper culte mihi, ſemper, CADENE, colende, &c.*

CADENUS. J. SWIFT D. D. D. S. P. D. ſui ſæculi deliciæ, nec tam patriæ, quam humani generis decus. Si virtutes illius contemplemur, nemini ſecundus; ſi divinum mentis ingenium, omnibus major. Cujus humanitatem, eloquentiam & eruditionem merito colebat SCHEFFERUS noſter. Tales enim erant, quales ſub Auguſto principes viri, & ipſi in omni liberali doctrinâ politiſſimi, in ſuis literatis diligenter coluerant. Linguam Anglicanam uſque ad faſtigium venuſtatis provexit; & feliciſſimis numeris luſit poeta. Quippe CADENI ſpiritum, vim, & carminum ſuavitatem vel Flacci curioſa ambitio ſibi adoptaret. Sale facetiisque Attico lepôre tinctis facilè ſuperabat omnes. Sed & in ſcriptis ſuis utile dulci ſemper permiſcuit: nec placere magis inſtituit, quam patriæ prodeſſe. Hanc co-

loniam

loniam semel iterúmque in libertatem vindicavit, in æternum vindicaturus, bonæ si sua nôrint coloni.

Ver. 17. *Sic mea proscripsit, fuerit seu* VOLLUS *iniquus.*

VOLLUS, VOLCANUS, sive VOL. DUBLINENSIS, legirupa & improbus veterator. Peculatûs olim damnatus erat. Nunc autem peregrinis & advenis insidias collocat. Quin etiam & suis obvertit cornua, & erga amicos malus est; si ingentis sceleris exequendi occasionem capiat. Leno impurus est, & libidinosus senex, qui fornices & unctas popinas habitat scorto diobolari contentus. Ex mœchis & ministris MIRÆ nequissimus; qui primus omnium vati nostro dolos molitus est; & ne quid suspectum foret, amicitiam simulavit. Nullos in orbe Deos esse credidit; quare & artifex & instinctor omnium flagitiorum vel Stygias undas de asse pejeraret. Celebrem ignominiæ locum obtinuit in SCHEFFERI satyrico, quem & post mortem haud dubitandum est quin diu possideat.

Ver. 18. *Seu MIRA infamis, &c.*

Turpissima anus & venefica, quæ nobilem familiam, ex quâ orta est in Angliâ, vitiis suis inquinavit. A primâ adolescentiâ prostratæ erat pudicitiæ, neque unquam corpori aut famæ pepercit. Tres illi fuerant viri, sed istorum impotentia aut sua salacitas mille adulteros in auxilium vocavit. MARTI SCHEFFEREO novissimè nupsit: & tunc cum cornicis vetulæ habuit annos, habuit & ingenium & salacitatem capræ. Peregrinis & extraneis omnibus sese ultro obtulit: peregrinâ enim libidine usque ad furorem flagrabat, & jam flagrat. In extremâ etiam plebe sæpius quærebat, quod amaret, histrionibus, lecticariis, gregariis militibus & servis succumbens. SCHEFFERUM, ut aiunt, olim deperibat; sed amplexus petenti copiam sui corporis denegavit castissimus poeta. Et quis vel minus castus sordibus caleret, aut voluptatem quæreret in* cloacâ? Jam verò spretæ injuriâ formæ vehementer excanduit; & nihil reliquit intentatum, quo vel famæ vel fortunis SCHEFFERI noceret. Neque caruit successu. Adhibitis enim mercenariis testibus, & ipsâ & mœchorum turbâ ampliter pejerante, opibus ac terris poetam nostrum spoliavit. Ferrum autem & venenum jam ultrà minitata in hanc satyram cum sociis suis conjicitur, & mediocres persolvit sceleris pœnas.

Hæc est illa MIRA, quam G. GRANVILLE vir nobilis olim celebravit elegantiori quidem carmine, quam probo & liberali ingenio necesse erat, tali fœminæ certè parum idoneo. Verum excusationem quandam habeant amatoria culti illius poetæ elegidia: quippe istis temporibus vixit, cùm probi & ingenui viri vel inter philosophandum meretriciis artibus captari solebant.

* Ventrem anûs bibacis & libidinosæ Plautus dixit *cloacam*.

Ver. 22. *PERSEUS iste Faber, cui mens & crassa Minerva,* &c.

Eques auratus, qui & architectus regius: architectus, si ad ædes, quas extruxerat, spectes, imperitus; si ad scelera, peritissimus. Miles etiam, & *Capitanei* titulo insignitus est: sed & rei militaris & virtutis omnis expers. Mœchus autem

fuit.

fuit ſtrenuus; & ſtipendia in eo bello meruit, nequaquam laborans de ætate contubernalis. TRAULI uxorculæ diu ſervivit, ita & ſuis commodis. Siquid enim peteret, nihil ab iſtâ negatum fuit; auro, argento, fundis quoque donatus; quibus omnibus anicula emunxerat virum ſuum. Porro autem in veneficæ MIRÆ militavit legione, & non ſine gloriâ; etiam geminatâ mercede. Alieni appetens & profuſus mutuum argentum rogavit undique; nec ſolvendo erat. Cùm nuſquam inveniret mutuum, vim armorum adhibuit, & de bonis extraneorum prædatus eſt. Fuit SCHEFFERO inimiciſſimus; ac perſonam & MAVORTIS partes poſt obitum bellatoris ſuſtinuit. Leges regni perrumpens irruit temerè in poetæ noſtri poſſeſſiones; cujus domos ac terras ſpoliavit. In jus vocatus nec ipſe pejerare erubuit, nec perjuria ſua confirmare alios falſos teſtes adornando. Et jam novas inſidias, malas lites, & pejeratiunculas meditantem corripuit PERSEUM morbus immedicabilis, & ſe ac bella ſua ad MARTEM tranſtulit.

Ver. 29. *Pauperis heu CASTELLI, &c.*

CASTELLUS ſive CASTLES fuit architecton, cujus conſilio, ſtudio & labore nixus PERSEUS ædificavit Senaculum *Dublinenſe*. Poſtea verò, cùm ampliſſimis & indebitis præmiis a Senatu donatus ſit, pactam mercedem CASTELLO denegavit.

Ver. 36. *Nomine vix MARTI notus nunc ſcribitur Hæres.*

Quidam erat miles, & *Baronettus*, quem ſub MARTIS nomine diſſimulavit poeta & per totum ſuum ſatyricon luſit. Cùm MARTI firmior eſſet ætas, a MIRA vocatus eſt ad cœnam: ubi epoto amoris poculo veneficam cœpit ardere; quæ poſteà ita callidè eum omnibus ſervavit modis, ut haud alibi mœchiſſaret. Quin etiam, cùm languidus eſſet & infirmus ſenex, ita illum blandimentis meretriciis peſſum dedit, ut putidiſſimæ vetulæ nupſerit, veteris adulterii jam inde luiturus pœnas. Quid enim improbo & infortunato viro erant hæ nuptiæ, niſi in Barathrum navigatio? ubi famam perdidit, & alienа, quæ rapuit bona, & ſua omnia. Inde rixæ, lites, pugnæ; pax rursùm; quæ poetæ noſtro præbuêre occaſionem jocandi, & ſatyrici ſui argumenta haud injucunda.

Fuit MARS iſte SCHEFFERO noſtro quâdam cognatione junctus. Nequiorem verò hominem & magis ingratum nunquam vidi. Quippe cùm res familiaris vel ad neceſſaria deeſſet, & illi SCHEFFER mutuo appendiſſet mille & quingentas libras, ſyngraphum ſuam, per quam æs creditum erat, MARS abjuravit. Dein moriens delirus ſenex, aut in ipsâ morte maleficus omnia ſua bona, quæ rapax venefica indigenti permiſerat, ſimul ac prædia, quæ poetæ noſtro quàm optimè olim vendiderat, MIRÆ (nunc iterum redintegratâ pace) PERSEO & CACO Volcani filiis legavit. Ni, quod veriſimillimum mihi videtur, falſum teſtamentum eſſet ſuppoſitum MIRÆ incantamentis, & PERSEI CACIQUE fraudibus. Hoc enim mali ſuſpicatus eſt SCHEFFERUS, qui MIRACIDUM ſtudia penitùs cognovit.

Ver. 41. —— *KEVANNO milite cinctus.*

KEVANNI, ſuburbanum vulgus. Vide Not. ad V. 281. L. 1.

Ver. 56. —— *totumque vorare cohortem.*

MSS. *Tir-oen. Totumque vorare* PRIAPUM] quod & alii magis probant; quippe MIRÆ cubiculum ornabant *Priapi* ſimulachrum ingentis ſpeciei, necnon picturæ ab *Aretino* quodam inventæ, quæ parieti affixæ erant, & ita diſpoſitæ, ut, ſiquando cunctatio eſſet aut inopia mœchorum Tribadumve, ſaltem oculos ſuos venefica libidine ſatiaret. Hic PAMMUS (de quo infra) divina ſua quotidiè faciebat. Adjuncta cubiculo erat cellula (ubi concumbi ſolebat) ſpeculata, ut quocunque inter coitus MIRA reſpiceret, grati operis imago ſibi referretur, atque ut hoc artificio (quod ſe primam omnium excogitaſſe jactabat) voluptates conduplicarentur. Haud abſurdè poeta dixit [*Vorare*] qui MIRAM in lib. 3. *Charybdin* vocat, i. e. meretricem voraciſſimam. Talis enim fuerat *Charybdis*; ſed nec voracior noſtrâ MIRA, quæ inter tot adulteros ne unum quidem invenit, qui longo & repetito certamine ipſam fatigaret, etiam tunc cùm centum-viros ipſa fatigâſſet.

Ver. 57. *Quin TRAULI quaſſans lectum.*

TRAULUS fuit maritus ALITIS.

Ver. 59. *ALITIS extortum reſupinæ corpore corpus, &c.*

ALES, ALI, AL, ALENISSA, diverſa nomina, quibus poeta dixit uxorem TRAULI; aniculam, cui deforme corpus, & facies rugoſior ficu aridâ. Fucatus autem ejus nitor & incruſtatio lippos & meretriciæ artis ignaros multum fefellit. Adultera erat inextinctæ libidinis & in horas creſcentis, cujus ſalacitas varietate figurarum vel MIRÆ inventa ſuperare poſſet.

ALES infenſa erat & inimiciſſima SCHEFFERO, quem proſcindebat quotidianis mendaciis & fœdiſſimis convitiis. Fictis etiam probris amariſſimè accuſavit per literas in *Britanniam* miſſas.

Ver. 61. *Rivalique ſuo lenonia dextera ſervit.*

PERSEUS hic appellatur *Rivalis* MIRÆ; quia ALES erat & adultera PERSEI, & baſiballum MIRÆ, tribas ſcilicet famoſa; quam, cùm mœchorum copia abeſſet, venefica ſolebat permolere more Lesbiadum, ut utraque hujuſcemodi colluctationibus incenſa ad virorum coitus & ſolidam voluptatem fortiùs reverteretur.

Ver. 63.

Ver. 63. ——— *dat anus monilia, gemmas,*
Insuper & nummos.

Anus, i. e. MIRA quæ argentum quoquo modo mutuata est, rogavit, corrasit, rapuit; ut haberet unde mœchos, tribades, causidicos, lenones, sicarios, *Pammos Vollos, Cacos,* & istiusmodi generis homines ad sua commoda compararet.

Ver. 65. *Callidaque affatu palpat Judæa maritum.*

TRAULI scilicet uxor, quæ *Judæa* erat gente. Blandimentis, & quotidianis, quos commenta est, dolis, MIRÆ insuper veneficiis adjuta, suo arbitratu ludificata est TRAULUM, ita callidè, ut nunquam se ludos fieri sentiret. Quàm maleficè autem & sycophantiosè agit, dum conquisitos undique mœchos, & viri sui emptos peculio, mensâ, tecto, thalamo recipit, vel tonsoribus omnibus, cœnopolis, & olitoribus notum est.

Ver. 66. *Jamque domum & mœcho* S*organa *præbet agellum.*

S*ORGANA est villa TRAULI, ubi contiguas ædes & modum agri PERSEUS habuit, quæ jam pridem munera TRAULUS donaverat, gratiam & voluntatem mariti conciliante adulterâ.

Ver. 71. ——— *nec uni*
Si magici cantus valeant, dictaberis hæres.

Alludit poeta ad testamentum MARTIS.

Ver. 74. *Nos insectatur CACUS, blateratque furitque.*

PERSEO & PERSEI malitiæ fuit successor CACUS (hoc enim nomen illi inditum erat ad opprobrium vitæ) quem nominis causâ VOL pro filio sibi adoptavit, & suas fallacias docuit. Ministerium MIRÆ subiit infandum, ac fraudes & maleficia veneficæ multùm juvit. Dives erat nummis & agris, verùm inops & instabilis animi, de suis identidem ac sociorum sceleribus paulò infirmiùs dubitantis. Belli igitur judicium blanditiis sagæ & præceptis VOLCANI facilè permisit, adductus spe prædæ, ad quam MIRA proposuit bona & fortunas poetæ nostri.

Ver. 79. ——— *& quæ olim damnaverat ipse.*

Veneficia MIRÆ & falsas lites, quas rapax saga & suus PERSEUS in SCHEFFERUM intendebant, olim improbâsse CACUS traditur, neque ante obitum PERSEI peccâsse vel aperto scelere vel nimiâ ineptiâ.

Ver. 83. *Omniaque involvat fumo & caligine cæcâ,*
Herculeæque manus desint.

Vide fabulam CACI Æneid. lib. 3. qui ab Hercule occisus erat. Metaphoricè hic poeta dixit *fumo & caligine cæca*, i. e. fraudibus, insidiis aut artificiis, quibus diu culpam suam prætexuerat *Hibernicus* CACUS.

Ver. 86. ——*& nostri si quid Iambi.*

Hæc intelligas de SCHEFFERI comœdiâ, ubi CACI flagitia & officia apertissimè planissimèque dilatantur, & explicantur.

Ver. 88. *Me quoque tu cornu petis, O insulse Sacerdos, &c.*

Antistitem hic aggreditur poeta famosum, qui PAMMUS vulgo appellatus est, & stuprorum sacerdos. Fuit gigantûm filius, aut si mavis, terræ tuber; qui in hanc coloniam venit adulter venalis, & leno callidus. Propter artificium suum in MIRÆ, amicitiam receptus est. Mox uxorem TRAULI cœpit amare, & dedit operam, ut aniculæ satisfaceret: cujus auxilio adjutus, ambito a principe *e**patu*, nactus est prædam. Ex plumbeo homine fit aureus flamen; neque diis gratias agit. Enim vero ut à literis alienus, sic & ab omni virtute; qui cuncta, quæ didicit, nescire debet, cuncta, quæ nescit, debet discere. Morbo Venereo diù multùmque laboravit (neque tunc lotium suum valuit) & naso jam periclitante, & suffocatâ voce profectus est in Galliam, ubi medicamentis novis & Borbonii fontis aquis, assiduis etiam Solibus assuetus, corpus & infamiam sarsit. In patriam reversus, vel assentiente ALITE, uxorem duxit, & in novas translatus est dignitates.

Rusticis convitiis a PAMMO sæpissimè lacessitus poeta liberrimam tandem effudit indignationem, & incultum & improbum virum acriter notavit.

Ver. 97. *Pumila dum sibi te FROKINA inamabilis ALES &c.*

Eadem FROKINA ac VROW pusilla, quo nomine donatur ALES, Ver. 154. l. 2. VROW & FROKINA passim appellatur, quippe ex Batavis Judæis, orta est. Brevissimâ porro fuit staturâ, vel bipedali.

Ver. 100. *Nec castum simulat.*

Nulla fuit PAMMO pietatis cura, aut Deorum reverentia. Neque modestè peccavit, neque flagitia sua defendit aliquâ excusatione; sed in fana & aras ruit vino madens, aut libidine fatigatus. Sæpius etiam nondum peractis Divinis, ut apertè Divos contemnere videretur, assurrexit; & indignante populo e templo exiit rectà currens ad quæstum lenonium.

Ver. 110. *At mihi quid tecum eſt? aut cur indocte Magiſter*
OTTOR aves &c.

OTTOR (ni ipſe fallor) vox eſt *Punica*, tituluſque, quo gaudent doctores Mauri. Noſter *Hibernicus* OTTOR fuit aut ſutoris aut fabri lignarii filius (non matre ignotâ, quippe xythopolâ) qui malè quæſitis opibus doctoratum emit, & in antiſtitis cujuſdam vicariatum electus eſt. Inverecundum illi erat animi ingenium, & adulatione exercitum; qui judex lites concire ſolitus eſt, & in rem ſuam vertere. Neque convitiis provocatus, neque ullâ ſubactus injuriâ, SCHEFFERO noſtro, quem tantùm OTTOR viderat, ſe profeſſus eſt adverſarium, & MIRACIDUM ſcelera labore & authoritate ſuâ ultro auxit.

Ver. 124. *Qui* Baldos *ſimulat.*

Petrus Baldus clariſſimus juriſconſultus & philoſophus, Perugiâ natus, floruit circiter annum 1380.

Ver. 128. *Nam neque THRASONEM ſemper patiemur inulti.*

THRASO, i. e. Miles glorioſus. Deſignat SCHEFFERUS hâc probrosâ appellatione ſongurionem quendam ex ſatellitum numero, virum mali ingenii & procaciſſimi oris; qui in conviviis & aulæ circulis poetam vellicare ſolebat ita malignè & inſcitè, ut per deridiculum ſemper audiretur.

Ver. 129. *Nec fraudes, OLLARDE, tuas.*

Rogavit OLLARDUS, ut SCHEFFERO amicus adſcriberetur, quem & hoſpitio invitavit. Sed de recenti hujuſce hominis ſcelere & violatæ fidei crimine queritur poeta. Quadringentas enim libras SCHEFFERI nummos fraude intercepit. In alios etiam ſocios amicoſque vel graviora facinora edidit OLLARDUS per fœdam avaritiam. Crevit tanquam ſalix; & quocunque modo crevit. De quo, lector, plura audias, ni reconciliatio & reparatio damnorum ejus crimen & poetæ iracundiam extinxerint.

Ver. Id. ——*nec fœdera FUNGI.*

FUNGUS, qui & MACCAR appellatus, fuit mancipium & pocillator MIRÆ, fur ſacrilegus, ſicarius, & ad omnia ſcelera promptus. Cùm flagrantiori libidine æſtuent hæc & altera ſaga, novos adulteros FUNGUS parat; cùm iniquas inſtruant lites, falſos teſtes adornat; cùm cædes & parricidia decernant, ſicarios & percuſſores convenit, quin & ipſe inſtruendis inſidiis intentior, & dux facti. In SCHEFFERI comœdiâ proprio munere perfungitur hic nequiſſimus verbero: in toto autem Hermaphrodito ſemel unquam memoratur, ne ingenuam ſatyram poeta ſervili nomine inquinaret.

Ver. 130.

Ver. 130. *Garrulus ipſe etiam* CIRRATUS HOMUNCIO &c.

Quem poeta alibi CURCULIONEM vocat. Sub hoc nomine paraſitum deſignat, militem Pigmæum, & *Demi-Capitaneum*, ſed Patriciis ſcortillis maximè idoneum; quippe qui percunctator, & garrulus, & paſtillos ſemper olebat. Ad arbitrium MIRÆ tribadumque ſe totum accommodabat CURCULIO, ac SCHEFFERUM apertiùs & liberiùs maledicebat. Nam propter maledicta, & quas garriit nugas, vivebat facilius, ſemper etiam alienâ quadrâ. De paraſitante iſto CURCULIONE dixit aliquis;

Græculus eſuriens in cælum juſſeris, ibit : Juvenal.
CURCULIO eſuriens, ſi juſſeris, ibit in Orcum.

Ver. 135. *ONDILLUS noſtro* &c.

ONDILLUS, ſive DILLUS cauſidicus a ſecretis & perjeratiunculis MIRACIDUM; de quo vide plura ad not. Ver. 49. Lib. 4.

Ver. 139. *O MELESINE, meas nunc experière Camœnas.*

MELESINUS, qui in Hermaphrodito Iocco appellatur (quæ nomina fecit poeta juris conſulto cuidam MIRÆ fautori) fuit vir inſulſus & maledicus, cujus oculi, aures & vox venditaria ad ſagas transfugêre. In comœdiâ SCHEFFEREA ſuas ipſe ineptias ſceleraque loquitur MELESINUS. Tunc in orcheſtrâ ſtetis, O populares, & MELESINI colorem atque geſtûs pleniùs intuemini. Tunc & verum hominis nomen & patriam vos docebo.

Ver. 145. *Sive quis ex Procerum numero.*

Veneficia MIRÆ in SCHEFFERUM armavêrunt magnatum quorundam potentiam. Ex illis unum ingentis tituli invenias virum, vel regibus propiorem; ſed ingenii parvi, ac paternis virtutibus illuſtriorem, quàm ſuis. Quin tecum cogita, mi lector, an tali liceat SCHEFFERI mores criminari, cùm nec veneficæ recuſet comes ire, nec mœchus ALENISSÆ? an tali liceat SCHEFFEREA carmina culpare, cui ignoratam latinitatem facilè exprobraret poeta?

Ver. 145. ——*at cæcos reppulit ictus.*

Cùm MIRACIDÆ poetam noſtrum ex inſidiis occidere ſtatuiſſent (& quinam ſint illis animi, vel ex hoc colligere poſſis) unus ex ſicariis immane ſcelus patefecit. Dein alias proſcriptiones & nefanda omnia MIRACIDUM aperuit conſilia. Evulgatio tam fœdi facinoris, Muſis etiam inimicorum furias excipientibus, ſcrupulum corruptiſſi-

mis animis injecit, ut ne quid ultra ferro auderent tentare. Quin dic quæso, lector, annon cruentum hoc homicidium in poetam a MIRACIDIS cogitatum & inſtructum ſtyli atrocitatem & totam carminis indignationem excuſet? Aut quos reos eſſe cenſeas & ultionem mereri, ſi nocturnæ cædis authores abſolvas?

Ver. 147. *Ecce meo, nequicquam alios ſpoliare parata,* &c.

Cùm primum poeta ſales ſuos publico donaſſet, omnes matronæ puellæque nobiles, quot quot rei familiari aut famæ conſulebant, colloquium & domicilium MIRÆ effugêre. Advenas etiam & peregrinos viros SCHEFFERI mala fecêrunt cautos: & fruſtrà nunc in hoſpites venefica inſidias cogitat, aut quos ad adulteria allicit niſi ex miſerabili vulgo, majori etiam pretio ac mercede. Siquis vero haud dextro ſydere editus poetam audire noluerit, & ſatyricæ libertatis monita aſpernatus veneficiis MIRÆ aut ſolicitæ MIRACIDUM adulationi cedat, iſtum cum ratione dicas inſanire, qui dum ſomniat cælum Deoſque, de Hecates cœnâ guſtet, & Furiis permiſceatur.

Ver. 150 *Androgyne furibunda, & crimine turpior omni.*

Quicquid SCHEFFER jocosè fabulatus eſt in l. 4. de jurgiis & imperio Veneris, quæ MIRAM ibi dicitur in marem mutâſſe, nullus dubitet, quin venefica & hermaphroditus eſſet, & immanis ſpeciei monſtrum ab umbilico uſque. Ipſe ædepol ſæpiſſimè notavi hirſutam MIRÆ barbam, viriles geſtus, & vocem Stentoream. Cætera avent memorare tribades, quot quot incubonem ſunt paſſæ, & quæ nunquam aſſurrexêrunt de toro ejus ſine robuſtâ voluptate.

Crimine turpior omni. Siquidem MIRA fœdiſſima facta augebat obſcœnitate verborum vel in aulæ circulis & coram principe. Porro pudicitiam ſuam uſque adeò proſtituit, ut omnia membra contaminarentur. Neque vos miremini, populares, ſi paucorum verſiculorum ſatyra haud milleſimam partem flagitiorum, quæ perpetravit iſta androgyne, jam evulgaverit; cùm omnes ſuas impuritias, omnes ſcelerum formas vel ducentis voluminibus nemo eloqui poſſit. Si autem quis poſſet, an perlegi audirive fas ſit, nedum credi?

Ver. 159. *Nec petulans uxor TRAULI impunitior exit.*

Ut MIRAM, ita mellillam MIRÆ libidinoſam TRAULI uxorem, quaſi in tabulâ, produxit poeta ignominioſis certe coloribus, ſed ſuis. Neque nunc invenitur inter IERNAS nurus puellaſque, quæ amicitiam ALITIS colit; ſi paucas excipias, quæ in collegium tribadum, & novi ſtupri ſodalitium ſe cooptari cupiunt.

Ver. 165. *Inque dies perculſa vovet, ſemperque vovebit SCHEFFERIDAS Muſas,* &c.

Furit ALES, & palleſcit, ſiquando SCHEFFERI ſatyricon memoretur. Quippe quæ de ſeipsâ nunquam non magnificè cogitabat, & immania ſcelera & fucatam formam credebat

credebat neſciri a populo, corporis animique deformitatem nunc fateri cogitur. Haud igitur mirêre, mi lector, ſi poetæ indiciis irata novas injurias liteſque, ſi vulnera & mortem ipſam comminetur. Quin tuo more excandeſcas, O infamis ſaga; SCHEFFERUM noſtrum contumeliis laceſſas, laceres mendaciis, iterum iterumque inſidias, ferrum, venenum moliare; attamen & te bellantem decipiant arma, & mox vel tuæ canes in te latrent; dum nova ſatyræ argumenta, & idoneam jocandi materiem ipſa ſuggeras.

Ver. 172. *Ludibriumque* Eblanæ, *& latè fabula fiat.*

EBLANA, ſeu EBLANA PORTUS nempè DUBLINUM. Jam pridem iſte SCHEFFEREUS VOL totâ notus eſt KEVANNORUM Suburrâ; quem & ſcurræ omnes & cauponii pueri nunc ludificatui habent.

Ver. 179. *Tunc cum grandævum te purpura tertia velet.*

Ambit PAMMUS ditiſſimum ſacerdotium in ſeptentrionali regione ſitum; & hoc a veneficiis MIRÆ & ALITIS aſtutiâ exoptare auſus eſt, quod Divûm nemo promittere auderet; niſi inter Divos reperiantur, qui literas humaniores ac divinas flocci faciunt, qui lenones colunt, qui ſcelera mercantur.

Ver. 180. *Forſan & ipſa ſuam tollat Comœdia vocem &c.*

Poeta latinè ſcripſit comœdiam, quæ vocatur VENEFICA, ſive TESTAMENTUM MARTIS. Ecce autem tibi, lector,

DRAMATIS PERSONÆ.

VOLCANUS, *vulgo* VOL,	*Malus Deus.*
PERSEUS,	*Eques & faber Adoptatitius Volcani.*
CACUS,	*Eques Perſei frater.*
PAMMUS,	*Flamen Priapi.*
MELESINUS, *ſive* IOCCO,	*Cauſidicus.*
FUNGUS, *ſive* MACCAR,	*Pocillator Miræ & ſicarius.*
MIRA,	*Saga & Androgyne.*
ALES,	*Altera ſaga, tribas & Miræ contubernalis.*
PSEUDOLA,	*Ancilla Miræ.*

ACTUS

ACTUS I. SCENA I.

MIRA. MACCAR.

MIRA.

PROBE ædepol desudâsti, neque sudorem perdes tuum:
Jam enim digna, Maccar, labore tuo persolvam præmia,
Atque ex pedisequo mihi fies pocillator misero.
Quin deponas vestimenta servilis notæ, & induas
Coccinea; & frons cirrata siet, sericatum occiput:
Machæram insuper geras, ut generosiores cuncti solent.

MACCAR.

Benignitati vestræ, Domina, gratias ago quam maximas:
Eccum gratissimum repperisti virum, & ad omnes tuos
Nutus paratum! Quinetiam & omnis nostræ familiæ
Servitus tibi nunc debetur: mihi fratres duo sunt domi,
Et cognati quatuor nasutiores, quos tu fortissimos
Athletas dixeris; nec unquam experti sunt malam Venerem.
Robustam ex illis, Domina, voluptatem queas capere:
Proporrò me lenocinante parvi venditant bona sua.

MIRA.

Lepidè dictum per concham Veneris! Cras ad cellulam meam
Adducas omnes, ut lautas prælibem, quas mihi offers, dapes;
Atque ut juvenes arrhabonem accipiant: siquis vero erit
Nuptus, tu manda illi, ut sine uxore hâc nocte cubet.
Nunc ad penarium descendas, & temet ipsum accures benè;
Atque vinum ad reficiendas vires usque affatim ebibas:
Quippe enim post prandium nervis iterum utendum 'st tuis.

[*Exit* MACCAR.

ACTUS I. SCENA II.

MIRA. PSEUDOLA.

MIRA.

PSeudola! PSEUD. *Num quid vis Domina?* MIR. *Dic planè de nostro Maccare*
Quid censeas? Num morigerus est nebulo, & moratus benè?
Speciem corporis satis perspexi, animum vero parum.

PSEU-

PSEUDOLA.

Benè moratus eſt, & tuis rebus maximè idoneus.
Uti in lecto, ſic tibi in foro operam navabit ſtrenuam:
Nam magis ſcelerum caput, & perjurius nuſquam eſt gentium.

MIRA.

Rem acu tetigiſti! Sic enim liceat ulciſcier injurias,
Quas obtulit maledicus poeta, cui forma deſpecta 'ſt mea.
Nam ſi iſtum hominem non aliquâ perdam, pol ipſa perii.
At at ubi eſt Bombardomachides, quo nunc tota caleo.

PSEUDOLA.

Jam hic aderit: dudum arceſſi e caſulâ, ubi mane potat.

MIRA.

Ut perdoctè omnia calles, Pſeudola, & mihi es commoda!
Dabo tibi hanc pallam, & aliquid peculi, ut ſis ornatior.
Nunc autem in cubiculo Bombardomachidem opperiar.
Quin tu lectum ſternas, modò quem Maccar concuſſit fortitèr;
Ne nimis longa ſiet nobis mora, quum miles advenerit.

[*Exit* PSEUDOLA.

MIRA *cantat.*

Huc ades, ne ilia rumpantur, mi BOM.!
Tu ſis meæ capſæ
Poſſeſſor reâpſe,
Vel PERSEO *prælatus, qui ſtruxit Dom. Com.*
Huc ades, ne ilia rumpantur, mi BOM!

II.

Si ipſe non PAMMUS *tam homo, tu quam,*
Me fruſtra petiſſet,
Nec hodiè mœchiſſet:
At noſtram tu ſolus habeto con---cham;
Si ipſe non PAMMUS *tam homo, tu quam.*

III.

Haud tuam ſapivi, cum CACI *rem ſat,*
Ignaviam pertæſa,
Quòd membra obeſa.
Et nimio ſopori, & vino ſe dat.
Haud tuam ſapivi, cùm CACI *rem ſat.*

IV.

Nec tibi hircoſus ſe comparet VOL.
Qui olim pa-tuit,
Sed dudum ſe-nuit;
Dum calet, dum init nos, annus eſt pol.
Nec tibi hircoſus ſe comparat VOL.!

V.

Sin autem deficias, en MACCAR *ſtat pro---!*
Nam aptè moechatur,
Et lenocinatur,
Et alios invenit ex plebe *MAC. O,
Sin autem deficias, en MACCAR *ſtat pro---!*

VI.

At quis Deus fecit me Androgy-num?
Quam criſpus pecten is!
Fons, ignis perennis!
Remotum utrinque, utrumque, neu-trum,
At quis Deus fecit me Androgy-num?

VII.

Poteſſum, nam mea columna eſt ſal,
Amplexus viriles,
Vel dare ſi-miles,
Noctesque dieſque permolere AL.
Poteſſum: Nam mea columna eſt ſal. [*Exit* MIRA.

Scenas haſce ab authoris MS. deſcripſi, ut tibi, lector, impertirem; unde inceſta veneficæ flagitia propiùs conſideres, & novum ſcenicæ ſuæ procacitatis ac impudentiæ ſpecimen habeas.

Ver. 183. *HORTATOR ſcelerum.*

Probroſum & fictum PAMMI nomen, ſive titulus, ſed vera hominis deſignatio; & ex quâ, qui artem *anagrammaticam* mediocriter callet, verum PAMMI nomen facilè eliciat.

Ver. 184. *Et mœchos mœchis, & ſagis* leno *malignis* &c.

In SCHEFFERI comœdiâ PAMMUS impuriſſimi LENONIS agit partes; nec non artificia nova lenocinandi excogitat, tribadum turmæ libidinem, vires viruſque anguibus adjiciens. Ver. 186.

* Illos innuit poeta, quorum nominibus *Mac*, vel *O* præfigitur, ut *Mac-Carty*, *Mac-Mahon*, *O Sulivan*, *O Brien*, &c.

Ver. 186. *Tunc quoque ſi peteret Venerem tua* MIRA *nefandam Æmula Paſiphaes &c.*

Paſiphae *fuit filia ſolis, & uxor Minois regis Cretæ, quæ tauri amore capta, & Dædali artificis ope vaccæ ligneæ incluſa, Minotaurum e tauro peperit ſemihominem & ſemibovem.* Ruæus. Tale, ut aiunt, adulterium ſibi jam molitur MIRA, tale etiam cogere ſperat ſtudio & opere PAMMI. Vulgare eſt hoc canticum a *Guilielmo Neubrigenſe* compoſitum, & PAMMO inſcriptum.

* O PAMME, *en* MIRA *pru-rit!*
Nec tu, neque tui ſufficiant.
Adulter Paſiphaes adſit!
Nil vetulam vaccæ ſuſpiciant.

Sic belluam liceat domare:
Dum magis & magis caleſcit,
Centum viri haud ſatiare;
At forſitan taurus poteſſit.

* O PAM, is thy MIRA in want?
Ne'er offer thy ſelf or thy Fellows:
But give her Paſiphae's Gallant;
Nor fear, that his Wives will be jealous.

'Tis only this way thou canſt pleaſe her:
For when the old Witch is brim full,
An hundred ſtout Men would but teize her:
To eaſe her ſhe muſt have a Bull.

* Ad modulos ac diaſtemata veteris iſtius cantici (*An old Woman clothed in Grey*, &c.) hoc, & hoc alterum canas.

Ver. 190. *Quam neque* Lesbiades.

Deſignat tribades & concubinas MIRÆ. Nonnullas enim, præter uxorem TRAULI, venefica impudicè amavit, & ad libidinem uſa eſt more Sapphûs Lesbiæ.

Ver. 191. *Non* centum *domuere anni.*

Tir-oun. M. S. Non *ſeri.*] Si *(centum)* mavis, pro indefinito numero accipiatur; quippe venefica tantum ſeptuaginta habuit annos, cum ab *Eblanâ* SCHEFFERUS diſceſſit.

Ver. 202. *Tutus ab insidiis jam spectet* lustra ferarum.

I. E. Lustra sagarum, moecharum & tribadum; scilicet MIRÆ & ALITIS. *Lustra*, ut ait *Ruæus*, *metaphoricè dicuntur* popinæ, & lupanaria. Vid. Not. ad Ver. 471. Georg. L. 2. ad usum Delphini.

Ver. 203. *At non cuncta tamen voluit sibi Musa licere* &c.

Brevis hæc est poetæ pro se apologia. Satyræ libertatem sibi indulsit SCHEFFERUS, suis verò injuriis prorsus dignam. Haud quid acerbi in aliquem sibi permisit, nisi qui illi grave aliquod mali confecerit. Nec quid falsi de inimicissimis viris ausus est dicere. Sicuti enim, lector, nusquam reperies fictas poetæ exprobrationes, ita nec ementita MIRACIDUM scelera; quæ vel irascendo ipsi confitentur. Sed nec suas poeta studiosior est ulciscendi injurias, quàm incautos homines dehortandi ab insidiis & sodalitio veneficæ. Et forsitan plura scripsit in spem propriæ laudis, quam MIRACIDUM infamiæ. Etiam tota SCHEFFEREI satyrici indignatio perurbana est, & multâ comitate temperata. Inter jocos & risus nascitur, & in jocos & risus exit.

THE

THE TRANSLATOR's PREFACE.

MR. FREDERICK SCHEFFER the Author of the following Poem is a *Swede*, or, as ſome ſay, a Native of *Lapland*. In the Beginning of Queen *Ann*'s Reign, when he was ſcarce ſixteen Years of Age, he was ſent by his Parents to *Oxford*, at which time many of his Countrymen were Students in that Univerſity. He continued there till 1710, when he married an *Engliſh* Woman; but his Wife dying ſoon after, he returned to *Sweden*. We hear nothing of him again till the Year 1723, when he came into *Ireland* to recover a Sum of Money due to him for a Freight of Copper. But as this happened unluckily for him, ſays one of his Commentators, at a Time, when our People had conceived ſuch an Averſion to that Metal, that they could not be perſuaded to revere even the Image and Superſcription of *Cæſar*, if impreſſed upon Copper, Mr. SCHEFFER found himſelf engaged in great Difficulties, and was obliged to proſecute a long expenſive Law-Suit, before he could recover any Part of his Mo-

ney. And what he did get at laſt, was but a ſmall Part of his Debt; as appears from his own Account of this Matter in a Letter to his learned Countryman Mr. *Serenius*, the Miniſter of the Lutheran Church in *London*. For he tells that Gentleman, *That after ſeven Years Sollicitation he had not recovered as much, as was ſufficient to reimburſe him the Expences of his Voyage, and defray the Coſts of his Law Suits. And that he had been defrauded in the whole of* 16000 * *Rix-Dollars.* But he does not any where aſcribe his Loſſes to that particular Juncture of Time, or the Prejudices of the *Iriſh* Nation, but to the Iniquity of his Contractors, eſpecially of the Perſon, to whom he had conſigned his Effects. The Wife of this Man was an old Sorcereſs, the lewdeſt and the moſt vicious Woman of the Age in which ſhe lived, or perhaps of any other Age ſince the Creation of the World. It was by her Influence and Direction, that the War was begun, and carried on againſt our Author. A War indeed I may properly call it: For the firſt Attempt was upon his Life; a ſet of Villains having been hired to aſſaſſinate him in the Streets of *Dublin*. But this Deſign being providentially diſappointed, they reſolved to attack him in another Manner. They filed at one Time no leſs than four long Chancery Bills againſt him, in which they charged him with all the

* A *Rix-Dollar* is a *German* Coin worth about 4*s.* 6*d. Sterling*.

Frauds themſelves had been guilty of, and called him to an Account for his own Money. They endeavoured to make void the Securities they had given him upon his Arrival in *Ireland*, pretending the Deeds had been made in Truſt for themſelves. Even the Land, which he had purchaſed from them at a very high Price, and of which he was in Poſſeſſion, they took from him again by force of Arms, attempting to murder his Servants, who oppoſed them, and outrageouſly inſulting the Royal Authority. They had Evidence always ready to ſupport their Proceedings, nor did they want a * *Wreathock* to marſhal the Witneſſes, and methodize their Depoſitions. They imagined, that ſuch continued Aſſaults would drive a Stranger out of his Senſes, or out of the Kingdom. But Mr. SCHEFFER bore up againſt all this Violence with great Reſolution. He took Pains to detect the Impoſtures and Perjuries of his Antagoniſts: And he ſucceeded ſo well, that their principal Depoſitions were ſet aſide with Marks of Infamy; and the *Iriſh* Chancery was at length obliged to pronounce a Decree in his Favour. However he did not reap the Benefit which he expected, and which indeed was deſigned him by the Judgment of that Court. For * one of his Adverſaries, who was the Subſtitute and chief

* An infamous Attorney in *London*, who acquired an Eſtate by Subornation and Perjury. He was at laſt capitally convicted for robbing on the High-Way.

* The ſame whom our Author calls CACUS.

Agent

Agent of the Sorcereſs, prevented the Execution of the Decree by inſiſting on his Privilege, as a Member of the * Houſe of Commons: And Parliament Privilege, which is circumſcribed by no bounds, is a terrible thing in this Country. Our Author being thus diſappointed, began now to be tired by the Length of his Suit, and the great Expence which attended it. He was beſides grown very infirm. The Moiſture of our Climate, which had damp'd his Wit, had alſo greatly impaired his Conſtitution. Being therefore determined to leave *Ireland*, he was prevailed upon to accept of a Compoſition, and to relinquiſh one half of his Debt to ſecure the other. But * to preſerve the Memory of this Affair, and tranſmit the Names of his Adverſaries to Poſterity, he wrote this Poem in *Latin* (the Language which was moſt familiar to him) and for the ſame Reaſons I have turned it into *Engliſh*. If I have not performed my Part with tolerable Skill, I deſerve no Favour. For I can affirm, without any kind of Oſtentation, that I underſtand the Author I have tranſlated as well as any Man in the *Britiſh* Dominions. I have not only made myſelf perfectly acquainted with his Style and Diction; but I have conſidered his Character, and

* I would not be underſtood to mean any other than the IRISH Houſe of Commons: For in ENGLAND ſuch a Claim of Privilege would not have been allowed.

* *Tir-oen* ſays, he wrote this Poem, to divert himſelf, in his Sickneſs: *Poema hoc feſtivum fecit ad elevandam ægritudinem, cùm tertianâ laborabat.*

I have

I have ſtudied his manner with great Application. I have gone yet further. I have intereſted myſelf in all his Concernments: I have been affected by his Complaints: I have reſented his Injuries: I have felt his Misfortunes. So that, it muſt needs be, my Spirit is congenial, or ſome way very nearly related to my Author's. For this Reaſon, I am certainly obliged to vindicate him, if I think it of any conſequence to juſtify myſelf: Since there are but few Objections, which lie either againſt his Writings or his moral Character, but may with equal Truth and Juſtice be urged againſt mine. I have not therefore been unattentive to the Voice of the Publick. I have diligently collected the various Cenſures, which in Writing or Converſation have been paſſed upon Mr. SCHEFFER's Poem; and it ſhall be my Buſineſs in this Prefatory Diſcourſe to take Notice of ſuch of them, as deſerve a ſerious Anſwer.

I. It hath been objected, That Mr. SCHEFFER hath made Choice of unfit Subjects; that his Characters are too low and too little intereſting, beneath the Dignity of an Epic Poem, and altogether unworthy the Labour he hath beſtowed on them. To this I anſwer, That it is in Poetry, as in Painting: The Skill of the Artiſt, and the Execution of his Deſign muſt recommend the Piece, and determine its Value. I have ſeen a *Dutch*

Droll, that was rated higher than the whole Court of a great King; and I have juſtly preferred a Group of *Æſop*'s Family to a Senate of Nobles. The Harlot's Progreſs by *Hogarth* would purchaſe an hundred Saints; and his * Biſhops make a better Figure in their Sculls, than they would do in any other Attitude, in which they might be placed by a leſs skilful Hand. Some of the beſt Poems, which the Moderns have produced, are of the Burleſque Kind, and are formed upon ſuch trifling Incidents, as could not poſſibly have entertained the Publick, if they had not been wrought up with excellent Wit and Judgment. Such are the *Secchia Rapita*, the *Lutrin*, the *Diſpenſary*, and the *Rape of the Lock*. In each of which the Pomp of Verſe, the Smoothneſs of the Numbers, the Clearneſs and Elegancy of the Expreſſion, and the happy Turns of the Words and Thoughts have made the Ridicule moſt agreeable. To ſpeak properly, there is no ſuch thing in Poetry or Painting, as a good or bad Subject. And the Workman, who pretends to derive any Advantage from the Excellency of his Characters, or from the Quality of the Perſons, whom he hath introduced, will find himſelf greatly miſtaken. A King's Head upon a Sign-poſt does not give any Pre-eminence to the Houſe where it hangs, nor any Reputation to the Painter. Neither will our Loy-

* A DROLL-PIECE of three Biſhops rowing to *Lambeth*.

alty

alty be called in queſtion, if we find Fault with the Dawbing. Shall we allow that Man to have any Taſte, who doth not prefer *Mother Hubbard*'s *Tale* to *Davenant*'s *Gondibert*, or any one Page in *Hudibras* to *Blackmore*'s *Arthurs*? To bring this Matter home, I perſuade myſelf, that I ſhall neither offend my Superiors, or be thought to flatter my Author, if I ſay, that SCHEFFER'S HERMAPHRODITE will be read, when the Holiday Works of the preſent *Engliſh* Laureat ſhall be forgot: And yet Mr. *C——ber*'s Characters are ſublime beyond all Degrees of Compariſon.

II. A ſecond Objection is founded on what my Author values himſelf moſt, the ſcrupulous Exactneſs, with which he hath adhered to the real Hiſtory of his Heroes. For excepting where in the fourth Book he hath called a Synod of the Gods, he hath not aided his Story with Fiction. Even the Battle of Sir MARS, and the HERMAPHRODITE, which is the chief Action and Cataſtrophe of the Poem, is related ſimply without any poetical Ornaments to embelliſh the Narration. From hence ſome learned Criticks have too haſtily concluded, that Mr. SCHEFFER rather aimed to be thought an Hiſtorian, than a Poet. Thus my Countryman *Tir-Oen* *

* SCHEFFERUS *noſter* MAVORTIS *ac* MIRÆ *monomachiam cantando ne quidem aliquid affinxit, neque vera falſis remiſcuit; ſed res geſtas perſonaſque tales exhibuit, quales ante* SCHEFFERI *carmen nobis innotuêre. Veretur profectò vir bonus, nè nimis Poeta eſſe videatur.* Tir-Oeni Com. in Procemio.

Mr. SCHEFFER *in his Deſcription of the Combat between* MARS *and* MYRA *hath added nothing of his own, nor mingled Fiction with the true Hiſtory; but hath drawn the Combatants ſuch as they really were, and has related the Particulars of the Fight exactly as they happened, and which were well known to us, before he publiſhed his Poem. This honeſt Gentleman ſeems afraid of being thought too much a Poet.* And *Wetſtein* in his Preface to the *Amſterdam* Edition of our Author's Works gives in to the ſame Opinion. * Mr. SCHEFFER *hath related the Duel of* MARS *and the* HERMAPHRODITE *happily enough; but he hath not invented any Circumſtances to adorn and give a Weight to his Song. He is a faithful Hiſtorian, but a timorous Poet.* But with all due Deference to the Judgment of theſe learned Criticks I do not conceive, that a faithful Hiſtorian and a good Poet are incompatible Characters; or that a mighty Warrior needs any adventitious Blazonry, when the true Hiſtory of his Life and Actions is ſufficient to create Surprize and Delight in the Reader. If I were diſpoſed to celebrate King *Arthur* and the Knights of his Round Table, or to exalt ſome other Worthies among his Royal Succeſſors, I ſhould certainly have recourſe to the Invention of my Muſe both to form the Hero, and to fur-

* HERMAPHRODITI *et* MARTIS *duellum ſatis dignè ſcripſit* SCHEFFERUS. *Haud quid autem commentus eſt de ſuâ ſententiâ, nec carmini addidit pondus. Fidus hiſtoriolæ ſcriptor; timidus Poeta.* WETSTEIN. Differat.

niſh

niſh the Adventures. But if I were to deſcribe *Alexander* at *Tyre*, *Cæſar* at *Alexia*, or the late King of *Sweden* at *Bender*, I ſhould ſcarce think I did any Honour to the Heroes or to myſelf by involving the greateſt Deeds, that ever were performed, in Fiction and Fable.

III. But there is another Objection founded on this Impartiality and Exactneſs of my Author, which I am more concerned to anſwer; ſince it wholly ariſes from the great Humanity of the Perſons, who make it. Theſe Gentlemen do not condemn Mr. SCHEFFER for want of Invention, or any fabulous Embelliſhments. On the contrary, they would rather he had ſuppreſſed the greateſt Part of the true Hiſtory: At leaſt they think it inexcuſable to publiſh ſuch Truths, as caſt a Blemiſh on human Nature. MYRA the principal Hero or Heroine (for ſhe was both a Man and a Woman) from whom the Poet has denominated his Work, is repreſented as a deformed old Hag, a Monſter of Wickedneſs, and the Sink of all Pollutions. The Picture of the Witch *Dueſſa* in *Spencer* is not ſo ſhocking, as the Deſcription of SCHEFFER's HERMAPHRODITE. 'Tis true, the Characters of MARS and VOL are not leſs infamous and deformed, than the Images of MYRA and her IMP; but they are better diſguiſed, as they are introduced under the Maſk of Gods. And Men are ſeldom diſpleaſed to ſee the Gods appear

as wicked as themſelves. Our Author ſeems to have been ſenſible of the Force of this Objection, and that the Invective in his third Book is a little too ſtrong, ſince he ſings a Kind of a Palinody in the fourth, in that Speech which he aſcribes to *Venus*. He there beſtows upon the HERMAPHRODITE the ſame Quality, with which he had honoured his other Heroes, and borrows a Title for her from among the Gods. But for my part, tho' his Satire were not tempered with any Compliments, yet I could not agree with theſe Criticks, who are of opinion, that the Characters of MYRA and her IMP are an Injury or Offence to human Nature. For I think, it may be fairly concluded, that the Spirit of the HERMAPHRODITE was changed, and adapted to her ſeveral Occupations long before the Transformation of her Perſon. In the firſt Stages of her Life ſhe is repreſented as a Sorcereſs; and the ſame Character remains with her to the laſt. The Vices, which ſhe practiſed, were not the Vices of Men; and ſhe ſeldom acted out of Character, unleſs when ſhe attempted a ſtubborn Chaſtity, which reſiſting all open Sollicitations could only be betrayed by an Appearance of Virtue. So that in truth ſuch a Creature cannot be ſaid to bring a Reproach upon Mankind, who had nothing in her whole Compoſition that was human. As to the IMP, it may be ſufficiently proved from the Text,

